VI
18/t

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28755534

Dtn

WENCESLAI TRNKA
DE KRŽOWITZ
S. R. I. EQVITIS MEDICIN. DOCT. IN REG.
UNIVERS. PESTINENSI PATHOLOGIAE
PROF. P. O.

HISTORIA
CARDIALGIAE

OMNIS AEVI OBSERVATA
MEDICA CONTINENS.

VINDOBONAE,
LITTERIS I. D. HÖRLINGIANIS.

CIↃ IↃCC LXXXV.

[illegible]

[illegible] ELLCO[illegible]
[illegible]
[illegible]

SERIES OPERIS.

PARS I.

CAP. I. Definitio.	pagina 1
CAP. II. Genera	3
I. A ſenſatione varia	ibid.
1. Cardialgia	ibid.
2. Cardiogmus	4
3. Cardiaca paſſio	5
4. Gaſtrodynia	ibid.
5. Pyroſis.	6
II. A duratione	7
1. Acuta	8
2. Chronica	ibid.
a) Continua	ibid.
b) Intermittens.	ibid.
CAP. III. Symptomata	9
I. Dolor ipſe, ejusque	ibid.
a) Intenſitas	10
b) Extenſio	14
c) Tempora invadendi, ſc.	15
1. â paſtu	ibid.
2. jejuno ſtomacho	18
3. noctu	ibid.
4. vagis ex intervallis	19
5. periodica.	ibid.
d) Duratio.	20

II. Abdominis morbi, ut ibid.
a) Anorexia cum vel ſine ſiti. ib.
b) Hypochondr. varie affecta 21
c) Singultus 22
d) Inflatio ſtomachi ibid.
e) Ructus, flatus ibid.
f) Angina ſpaſmodica 23
g) Nauſeæ, vomitus ibid.
h) Colica. 24
III. Thoracis morbi, nempe ibid.
a) Anxietas 25
b) Raucedo ibid.
c) Dyſpnœa ibid.
d) Syncope 26
e) Febris 27
IV. Encephali mala, ibid.
a) Cephalalgia 28
b) Aphonia, balbuties ibid.
c) Delirium ibid.
d) Convulſiones. ibid.
V. Artuum & cutis morbi: 29
a) Debilitas ibid.
b) Oedema ibid.
c) Frigus ibid.
d) Tremor ibid.
e) Arthritis ibid.
f) Sudor gelidus ibid.
VI. Promiſcua alia ſymptomata ib.

CAP.

Cap. iv. Procgumenæ cauſæ pag. 32
1. Hæreditaria labes ibid.
2. Idioſyncraſia ibid.
3. Paſſio hyſterica, hypochondriaca. 35
4. Tumores vicini 36
5. Xyphoides cartilago introvergens. 37
6. Ventriculi vitia varia, ut 38
a) Amplitudo vel anguſtia inſolens. ibid.
b) Situs præternaturalis 44
c) Accretio ad vicina 46
d) Choledochus ductus ei inſertus 48
e) Tumores, ulcera, &c. ib.
Cap. v. Procatarcticæ cauſæ 49
I. Ingeſta ibid.
1. Dyſpepta ibid.
a) tenacia ibid.
b) pingvia 52
c) terreſtria 53
d) nuclei, oſſa 55
e) metalla 56
2. Frigida 57
3. Flatulenta 60
4. Acria 61
a) ſpirituoſa ibid.
b) ſalina, aromatica, &c. 67

II. Colluvies pravorum humorum 74
III. Inſecta 81
IV. Calculi in ſtomacho 84
V. Animi affectus 87
VI. Conſenſus ſtomachi cum aliis partibus. unde 90
1. Graviditas ibid.
2. Calculi renum, cyſtidis felleæ 91
3. Applicata externa ibid.
4. Vulnera 92
VII. Metaſtaſes 93
1. Hæmorrhagiarum ſuppreſſarum ibid.
2. Scabiei 95
3. Tumorum ibid.
4. Arthritidis, rheumatis, ibid.
VIII. Febres 96
1. Continuæ ibid.
2. Intermittentes 97
a) Metaſtaſi vel ibid.
b) Paroxyſmi tempore. 98
Cap. v. Diagnoſis 102
Cap. vi. Prognoſis 106
I. Diuturna ſæpe eſt. ibid.
II. Perniciosa 110
1. Cardialgia à ſcirrhis, cancris, &c. ibid.
2. Soda in calculoſis. 111
III.

III. Effectus cardialgiæ ſunt ſæpe 112
1. Icterus ibid.
2. Tabes 115
3. Xyphoidis cartilaginis introvulſio. 119
4. Stomachi vitia varia, ut ibid.
a) Corrugatio vel diſtentio. ibid.
b) Sacci præternaturales. ibid.
c) Gaſtritis cum ſeqvelis 121
5. Carus. ibid.
IV. Solvitur 122
1. Criſi, v. g. ibid.
a) Vomitu ibid.
b) Alvo 134
c) Urinis 139
d) Conorrhæa benigna ibid.
e) Hæmorrhagiis 141
2. Metaſtaſi, 144
a) Abſceſſu 145
b) Cutaneis morbis 146
c) Enteritide 148
d) Ictero 149
3. Febre. 154

PARS II.

PROLEGOM. Summa medendi capita. 155
SECTIO I. Pharmaca. 158

Cap. i. Emetica		ibid.
Cap ii. Cathartica		184
Cap. iii. Anthelmintica		214
Cap. iv. Demulcentia		223
	1. Aqva pura	224
	2. Jus pulli	233
	3. Hydrogala	235
	4. Amygdala	237
	5. Mucilagines	240
	6. Vaniglia	243
	7. Siliqva dulcis.	ibid.
Cap. v. Abſorbentia.		244
Cap. vi. Opium.		256
Cap. vii. Nervina,		266
	1. Antiemeticum river.	ibid.
	2. Vinum	268
	3. Saſſafras decoctum	269
	4. Cicuta	ibid.
	5. Chamæmelum	270
	6. Aſa fœtida	279
	7. Moſchus	281
	8. Cajeput oleum	284
	9. Aurant. cortices	289
	10. Calamus aromat.	290
	11. Centaur. minus	ibid.
	12. Antiſcorbutica	291
	a) Naſturtium aqvat.	ibid.
	b) Raphanus	292
	c) Allium, cœpæ.	ibid.

Cap.

Cap. viii. Adſtringentia, ut 294
1. Omphacium ibid.
2. Glandium decoctum 295
3. Martialia 297
Cap. ix. Cortex Peruvianus, Geum. 300
Cap. x. Compoſita varia 307
1. Decocta ibid.
2. Mixturæ 308
3. Elixir ibid.
4. Boli ibid.
5. Pulveres 313
Sectio II. Chirurgia 314
Cap. i. Sangvinis miſſio 315
Cap. ii. Enemata 321
Cap. iii. Cucurbitulæ 324
Cap. iv. Topica, ſcil. 327
1. Fotus ibid
2. Cataplaſmata 330
3. Sacculi 331
4. Linimenta ibid.
5. Emplaſtra 332
6. Magnes 333
Cap. v. Balnea 335
Cap. vi. Rubefacientia, ulcerantia. 338
Sectio III. Diæta 341
Cap. i. Alimenta, eorum ibid.
1. Tempora ibid.
2. Copia 342
3. Indoles ibid.

Cap. II. Salivæ deglutitio 347
Cap. III. Affectus animi 349
Cap. IV. Motus corporis. 352

* * *

Hiſtoriæ 10 ſelectæ cardialgiæ 353
Appendix ſiſtens curandi rationem pertinaces cardialgias, HAENIO familiarem. 387

HI-

Errata.

Pag.	Lin.	*Pro.*	*Lege.*
19	5	Gheſneau	Cheſneau
23	15	pro pelli	propelli
—	17	vomiturio	vomituritio
35	9	ve ♁ teſtæ	♁ vetuſtæ
39	not	§. 23.	§. 2. 3.
40	4	vomerit	vomuerit
41	7	à morbe	à morte
43	8	proſiratio	proſtratio
46	16	Bahinus	Bauhinus
48	17	exempl	exempla
49	2	procataracticæ	procatarcticæ
50	(*d*)	p. 12. qq.	p. 1299.
58	12	inde	in die
60	10	onorexia	anorexia
184	10	Riedlimus	Riedlinus
186	8 9.	largo, diuturno	larga, diuturna
187	18	venrris	ventris
191	8	poſt: modo	poſtmodo
206	10	anxit	auxit
222	20	ſalfæ	ſalſæ
223	4	demulcemtia	demulcentia
228	18	trajiciebet	trajiciebat
236	20	his meris	his ægris
240	18	Barthosini	Bartholini
255	3	Plochi	Blochii
266	18	§. 40	§. 55.
269	20	Si J. Quarin	Sic J. Quarin
291	6	Bechevi	Becheri
294	16	omphœcium	omphacium
297	10	ut ob	et ob
309	5	Gherl	Gherli

ELENCHUS OPERUM

AB AUCTORE HACTENUS EDITORUM.

Hiſtoria febrium intermittentium omnis ævi obſervata & inventa illuſtriora medica ad has febres pertinentia complectens. 8. maj. Vindobonæ 1775. apud Ghelen.

Geſchichte der Wechſelfieber. 8. Helmſtädt 1781. bey J. H. Kühnlin.

Commentarius de Tetano omnis ævi obſervata de hoc morbo continens. 8. Vindobonæ 1777. apud Wapler.

—— de Diabete. 8. Vindob. 1778. apud eund.

Hiſtoria Cophoſeos. 8. ibid. 1778. apud eundem.

—— Amauroſeos omnis ævi obſervata medica complectens. 8. maj. ibid. 1781. apup R. Græffer.

—— Leucorrhoeæ omnis ævi obſervata medica complectens. 8. maj. ibid. 1781. apud R. Græffer.

—— Febris hecticæ omnis ævi obſervata medica continens 8. maj. ibid. 1783. apud R, Græffer.

Geſchichte des hektiſchen Fiebers 8. maj. Leipzig 1784. bey J. P. Haug.

Hiſtoria opthalmiæ omnis ævi obſervata medica continens. 8. Vindob. 1783. apud R. Græffer.

—— cardialgiæ omnis ævi obſervata medica continens. 8. maj. 1785. apud Joh. Dav. Hörling.

—— tympanitidis omnis ævi obſervata medica continens. 8. maj. ibid. *ſub prælo.*

Sequentur:

Hiſtoria hœmorrhoidum
—— rachitidis
—— ſpinæ bifidæ
—— enureſcos.

Neue Verlags Artikel.

Battiſti (Bartholomäus von à St. Georgi) Abhandlung von den Krankheiten des ſchönen Geſchlechts, neue mit dem gemeinen und ächten Tripper der Frauenzimmer vermehrte Auflage, 8. Wien 1784. 30 kr.

Calliſens (Heinrich) Einleitungsſätze in die Chirurgie unſerer Zeit, a. d. Lateiniſchen überſetzt, 2 Bände mit vollſtändigen Regiſter, gr. 8. Wien 1784. 3 fl. 15 kr.

Faukens (Joh. Peter Xav. Arzt im Marxerſpital bey Wien) Entwurf zu einem allgemeinen Krankenhauſe, m. K. gr. 8. Wien 1784. 45 kr.

Humburg (Joh. Nep. Edlen v. k. k. Rath und Leibarzt) Entwurf zur Auferziehung des Waislein und Findlings, 2te umgearbeitete Auflage, gr. 8. Wien 1785. 12 kr.

Saturnus redivivus eine ganz neue Betrachtung über die Bleymittel, beſonders über das Bleyextrakt, von einem Feldwundarzte der k. k. Armee. gr. 8. 1784. 20 kr.

Schneiders (L. F.) Abhandlung über die erſten Grundbeſtandtheile des menſchlichen Körpers. 8. Wien 1784. 15 kr.

Renbirs (L.) Gedanken über die den Kloſtergeiſtlichen und Weltprieſtern bey Gelegenheit der neuen Pfarreinrichtung in den k. k. Erblanden zur Prüfung für die Seelſorge vom k. k. Hofe und dem erzbiſchöflichen wieneriſchen Konſiſtorium vorgelegten

Fra=

Fragen, 3ter und letzter Band, gr. 8. Wien 1785. 45 kr.

Racine (Herrn Abts) allgemeine Kirchengeſchichte, a. d. Franz. nach der neueſten Ausgabe überſetzt, 2ter und 3ter Band, gr. 8. Wien 1784—85. 3 fl.

Homeri Jlias, latinis verſibus expreſſa a Raymundo Cunichio Raguſino Profeſſore eloquentiæ & linguæ græcæ in Collegio romano ad ampliſſimum virum Balthaſarem Odeſcalchium. 8. maj. Vien. 1784. 2 fl. 30 kr.

Monsperger (Joſ. Jul.) Inſtitutiones hermeneuticæ S. V. T. 2 Partes editio nova auctior & emendatior 8. maj. Vien. 1784. 1 fl. 45 kr.

Giftſchütz (Franz) Leitfaden für die in den k. k. Erblanden vorgeſchriebenen deutſchen Vorleſungen über die Paſtoraltheologie, 2 Theile, gr. 8. Wien 1785. 1 fl. 36 kr.

Entwurf zur Einrichtung der Generalſeminarien in k. k. Erblanden, mit Vignetten. gr. 8. Wien 1784. 24 kr.

Handbuch (nüzliches und angenehmes) für Väter, Mütter, Kinder, Hofmeiſter, Gouvernannten, Lehrlinge ꝛc. überhaupt für alle Menſchen 8. Wien. 1784. 40 kr.

Aufſätze allen künftigen Religions, und Volkslehrern Deutſchlands gewidmet, 8. Wien 1783. 40 kr.

Lugo (Joh. Alphonſens) ſyſtematiſches Handbuch für Jedermann der Geſchäftsaufſätze zu entwerfen hat, 3te ganz umgearbeitete und vermehrte Auflage, 2 Bände, 8. Wien 1785. 2 fl.

HISTORIÆ

CARDIALGIÆ

PARS I.

DE NATURA AC VARIETATE CARDIALGIÆ.

CAPUT I.

DEFINITIO CARDIALGIÆ.

§. I.

CARDIALGIA (*καρδιαλγία* a *καρδία* et *ἄλγος*, quaſi *ἄλγος τῆς καρδίας* i. e. *dolor cordis* vel *cardiæ* in ſtomacho) multifarios habet ſignificatus; etenim cum nomen *car-*

diæ à Veteribus tum cordi tum ſiniſtro ventriculi oſculo eſſet inditum, utriusque dolor cardialgiæ vocabulo denotari poſſet: at cum ſenſatio doloris in corde hactenus ab nemine ſit obſervata, uſu obtinuit, ut cardialgiæ nomen dolori ad ſiniſtrum ventriculi orificium percepto inderetur, id quod A. FOESIUS (*a*) è variis HIPPOCRATIS, GALENI, aliorumque Veterum locis fuſe commonſtrat. Poſteaquam vero hodie certis compertum eſt obſervatis, non ſolum ſiniſtrum ſtomachi oſculum dolori patere, ſed univerſam ventriculi ſubſtantiam perinde, nec uſque adeo raro, ab eodem infeſtari (*b*), ne novum condere vocabulum oporteat, haud abs re viſum eſt, nomen cardialgiæ latius proferre, illudque cuivis ventriculi dolori tribuere. Quapropter CARDIALGIA eſt qualiscunque *ventriculi dolor*.

(*a*) Oeconom. HIPPOCRAT. fol. 186. ſq.
(*b*) Vide §. 6. b.)

CAPUT II.

GENERA CARDIALGIÆ.

§. 2.

GENERA *cardialgiæ* cum varia à variis eſſent excogitata, qua perperam, qua ex re, binas in claſſes apte omnia cogi poſſe videntur, quarum ad primam, quæ ſenſatio varia, ad alteram porro, quæ duratio ſuppeditat, referemus.

§. 3.

I. *Senſatio* varia occaſionem præbuit, ut dolor in ventriculo perceptus varia nomina adipiſceretur, cujusmodi ſunt

1. *Cardialgia*, quam SAUVAGES (*a*) vult eſſe „ moleſtam ... ſenſationem ad ſtomachum aut epigaſtrium relatam, quæ ſyncopen minitatur „. At M. ETTMÜLLERO (*b*)

(*a*) Noſolog. method. T. 3. P. 1. Cl. 7. Ord. 4. S. 20.

(*b*) Opp. T. 2. P. 1. p. m. 82.

eſt dolor conſtrictivus cordis ad ſcrobiculum cum anxietate præcordiorum. Alii aliter definiunt. Veteribus ſane cardialgia nil aliud eſt, ut è FOESIO (*a*) liquet, quam dolor ad lævum ventriculi os citrà morſum. Contra vero

2. *Cardiogmus* (καςδιωγμὸς) morſus aut eroſio oris ventriculi ab iisdem nuncupabatur, quam humori acri tribuebant. Unde etiam C. PLINIO (*b*) *roſio ſtomachi* audit. Notat vero GALENUS (*c*) καρδιωγμὸν ab nonnullis pro cordis motu palpitationi ſimili fuiſſe acceptum: quapropter etiam SAUVAGES (*d*) eum ad thoracis morbos transferre maluit, cui Cardiogmus eſt „ gravis pertinaxque moleſtia in præcordiis cum „ ſenſu ponderis et magnæ molis pulſantis „ à minimo motu increſcens, cordis vaſorumque vicinorum moli adauctæ aut a- „ nevryſmati tribuenda „ . Pace noſtra!

(*a*) l. c.

(*b*) Natural. hiſtor. L. 20. C. 14.

(*c*) Comment. ad aphor. 65. Lib. 4.

(*d*) l. c. Ord. 3. S. 19.

3. *Cardiaca paſſio* quoque huc ab nonnullis refertur (*a*); ſed cum hæc, ut recte è Veterum doctrina monet H. LUDOLFF (*b*), non tam dolorem, quam potius exſolutionem ventriculi cum ſudore multo ſignificet, non eſt hujus loci.

4. *Gaſtrodynia* denique etiam SAUVAGESIO (*c*) memoratur, ſeu „ dolor notabilis et conſtans in regione ſtomachi, „ qui continua animi defectione non ſtipa- „ tur, ut cardialgia „. Adeo nomina multiplicare libuit! Idque vel à varia ac mutabili doloris intenſitate, vel ab alio accidente, ut eſt ſyncope, morſus, &c. Sed ſi hæc ad unguem accepta velis, innumera doloris ſtomachi, quippe qui infinitos intenſitatis gradus admittat, genera comminiſci oportebit: quæ ſi porro ad ægros applices, laborabit e. g. ROSCIUS cardialgia, cardiogmo, gaſtrodynia, &c. ut cui ſtomachus jam mitius, jam intenſius doleat, dolorque ſynco-

---

(*a*) G. W. WEDEL. Diſſ. de Cardialg. (Reſp. C. F. HOJERO 4. Jenæ 1688.) cap. I. p. 4.

(*b*) Diſp. ſiſt. caſum de Cardialg. §. 2. (Reſp. A. C. BÖTTICHER 4. Erford. 1725.)

(*c*) l. c. Ord. 4. S. 21.

pen minetur alias, alias nequaquam. Si itaque ludicra ſectari haud placuerit, omnia hactenus memorata genera uno cardialgiæ nomine complecti, iſtamque potius in *ſpaſmodicam* ac *ſimplicem* diſpeſcere, præſtabit. Præter hanc autem jure merito aliud huc doloris ſtomachici genus eſt referendum, quod peculiari ſenſatione ægros divexat, videlicet

5. *Pyroſis*, barbaris *Soda*, Germanis *der Sod*, *das Sodbrennen*, ſeu „ ſenſus „ ardoris in ventriculo et œſophago ſine fè- „ bre acuta „ ut recte definivit SAUVAGES (*a*), quo minus cum gaſtritide confunderetur. Unde quaſi jocularie à M. ALBERTI (*b*) *morbus ſanorum* dictus fuit; quamvis poſtmodo (*c*) viſuri ſimus, ardorem ſtomachi aliis morbis ut ſymptoma ſupervenire. Interea ipſam quoque ſodam M. RUCCERUS teſte G. H. VELSCHIO (*d*) bifariam voluit partiendam, nempe in ardorem totius ventricu-

---

(*a*) l. c. Ord. 3. S. 18.

(*b*) Diſſ. de ventriculi ardore §. 1. p. 9. (Reſp. J. E. ZELLER 4. Hallæ 1731.)

(*c*) Vide § 28. n. 2.

(*d*) Obſerv. medic. epiſagm. 39.

li, et ſolius cardiæ, utpote à Græcis jam inſtitutam diviſionem, qui priorem ὀξυρεγμίαν dixerint, poſteriorem vero ἐγκαυσεως nomine donaverint. Sed præterquam quod iſthæc diviſio tanti non ſit, in longe alio Græca hæc vocabula ſenſu apud HIPPOCRATEM occurrunt. Huc etiam aptiſſime frigoris inſoliti in ventriculo perceptio, pyroſi oppoſita, accenſeri poteſt; quandoquidem ingrata hæc ſenſatio nullum adhuc nomen obtinuit, cujusmodi caſum R. LENTILIUS (*a*) memoriæ prodidit de Religioſo 33 annorum, in colicam à pueritia prono; qui poſtmodo de tanto ventriculi frigore querebatur, ut glacies in eodem hærere videretur, cum preſſione illius, anhelitu difficili, et agrypnia. Simillimum etiam huic alibi (*b*) dabimus.

§. 4.

II. *Duratio* vero ſi ſpectetur, eſt rurſus cardialgia

(*a*) Miſcell. med. pract. P. 1. p. 291.
(*b*) Vide §. 13.

1. *Acuta*, quæ cito et cum periculo decurrit, velut quæ gaſtritidi comes eſt.

2. *Chronica*, in diuturnitatem excurrens, eaque rurſus duplicis tenoris, nempe

a) *Continua*, quæ ſine induciis torquet, uſque dum prorſus deſinát, niſi quod identidem à vehementia plerumque remittat. Cardialgiam hujusmodi perpeſſæ ſunt anus ALBRECHTI (*a*), virgo FABRI (*b*), matronaque VETILLARTII (*c*), è viris bini BAADERI (*d*) ægroti, faber lignarius BENIVENII (*e*), Eccleſiaſtes BRÜCKMANNI (*f*), vir CAMERARII (*g*) nec non VOGELII (*h*) opifex.

b) *Intermittens*, quæ poſtquam aliquamdiu conticuit, rurſus hominem cruciare occipit, idque vel ex æqualibus vel ex incertis temporis intervallis, velut ex obſervatis alibi (*i*) dandis apparebit.

(*a*) Vide §. 30. n. 1. b)
(*b*) Ibidem n. 3.
(*c*) Vide §. 29. n. 2.
(*d*) Vide §. 17 n. 2 & §. 18 n. 4. a).
(*e*) Vide §. 33 n. 4.
(*f*) Vide §. 30 n. 2. d).
(*g*) Vide hiſtor. 2.
(*h*) Vide §. 46.
(*i*) Vide §. 6. c).

CAPUT III.

SYMPTOMATA CARDIALGIÆ.

§. 5.

SYMPTOMATA *cardialgiæ* non uno ex fonte ſcaturiunt; ſed alia ilbrum dolor ipſe, alia vero cauſæ doloris, ut vermes, ſaburra, &c. progignunt. Quæ duo ſollicite indagata multum ſæpe in rite ondenda diagnoſi lucis affundunt. Idcircopræſenti capite ſingula cardialgiæ ſymptonıta pro eo, ac par eſt, complectemur; uorum cum dolor ipſe ſit primarius, hunc įimum, tum reliquum ejus comitatum ex orine luſtrabimus.

§. 6.

I. DOLOR *ventriculi* varia chibet phænomena, ſicco pede neutiquamranseunda; quippe quæ ad diagnoſeos, rognoſeos, curationiſque doctrinam illuſtranım permultum faciant: cujusmodi præprins ſunt intenſitas doloris varia, ejusque cu ad vicinas partes extenſio, tum varia coque du-

ratio, ac demum tempora vel reverſionum vel certe exacerbationum, prout nimirum vel continuus fuerit, vel intermittens.

a) *Intenſitas* doloris, ejusque ſenſatio prorſus eſt multifaria; etenim vel *obtuſus* tantum eſt, ut militi BAADERI (*a*) principio accidit, vel *mediocris*, qualem ſuſtinuit Religioſus apud CHESNEAU (*b*), vel vero *atrox* admodum, ut in feminis ADOLPHI (*c*), ALBERTI (*d*), AMATI (*e*), DODONAEI (*f*), LENTILII (*g*), PYEI (*h*), puella SCHULTZII (*i*), ac muliere STEGMANNI (*k*), matrona ac virgine FABRI (*l*), equite et muliere RUEFII (*m*), viris BALLONII (*n*),

(*a*) Vide §. 7 n. 2.
(*b*) Vide §. 9.
(*c*) Vide §. 4 n. 4.
(*d*) Vide §. 10 n. 1. c).
(*e*) Vide §. 3. n. 3 & §. 39.
(*f*) Vide §. 7 n. 4.
(*g*) Vide §. 14 n. 1.
(*h*) Vide §. 33 n. 3 & §. 35 n. 4.
(*i*) Vide §. 10.
(*k*) Vide §. 41.
(*l*) Vide §. 33 n. 1 & 3.
(*m*) Vide §. 71.
(*n*) Vide §. 16.

HEISTERI (*a*), WEITBRECHTI (*b*), molitore ZVINGERI (*c*), juvenibus MEIBOMII (*d*) et HILDANI (*e*), hujusque domeſtico (*f*), ac denique pueris, uno MARCARDI (*g*), binisque ZACUTI (*h*). Diverſum porro huncce intenſitate dolorem non uno etiam eodemque modo ſinguli experiuntur: ſunt, queis *gravans* tantum eſt moleſtus, qualem perpetiebatur ultra ſemeſtre GOCKELII (*i*) Præfectus cum ſenſu oberrantis gulamque petentis globi, tum octo RIEDLINI (*k*) ægri, virgo GRONERI (*l*), monacha ZANETTII (*m*), feminaque HOLDEFREINDII (*n*). Aliis *pre-*

(*a*) Vide §. 18 n. 1. e).
(*b*) Vide §. 62.
(*c*) Vide §. 33 n. 4.
(*d*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*e*) Vide §. 30 n. 1. a).
(*f*) Vide hiſtor. 6.
(*g*) Vide §. 55.
(*h*) Vide §. 37 n. 4 & §. 41.
(*i*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*k*) Vide §. 30 n. 1. a. §. 32 & 33 n. 1. & §. 35 n. 4. §. 37 n. 2. §. 40 & 66. a. b.
(*l*) Vide §. 34 n. 2.
(*m*) Vide §. 48.
(*n*) Vide §. 30 n. 2. d).

mens eſſe videtur, ut GOERITZII (*a*) vetulæ, LENTILII (*b*) virgini, PYEIque (*c*) mulieri. *Detrahi* ſibi ſtomachum SMETII (*d*) æger ſentiebat. Alias *mordens*, *lancinans*ve eſt, iſtum LEDELII (*e*) ruſticus, illum vidua HAGENDORNII (*f*), puella WALLII (*g*), ac faber SCHENFELDERI (*h*), conqueſti ſunt. Porro *pungens* quandoque eſt, ut in AMATI (*i*) viro, quandoque *terebrans* ac veluti telo *perforans*, cujusmodi ſenſum habuere BILGERI (*k*) Religioſus, Helvetus BONETI (*l*), aurifaber ETTMÜLLERI (*m*), ac FORESTI chirurgus (*n*) et juvenis (*o*). Nec defuere, queis dolor hic ſto-

(*a*) Ibidem n. 1. e).
(*b*) Vide infra c) 1).
(*c*) Vide §. 33 n. 3.
(*d*) Vide infra c) 2).
(*e*) Vide §. 37 n. 4.
(*f*) Vide §. 30 n. 1. a).
(*g*) Ibidem.
(*h*) Vide §. 53 n. 5.
(*i*) Vide §. 33 n. 4.
(*k*) Vide §. 21.
(*l*) Vide §. 37 n. 3.
(*m*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*n*) Vide §. 37 n. 1.
(*o*) Ibidem n. 2.

machum *diſrupturus* videbatur, id quod præ primis mulier lactans BINNINGERI (*a*), ac FORESTI (*b*) aromatarius, percipiebant; *diſcerpens* fuit in VETILLARTII (c) femina. Graviſſimus tamen ille eſt, qui *conſtringens* et *contorquens* ventriculum dicitur, haud ſecius, quam ſi funis in modum ſtomachus contorqueretur: cardialgia id genus ſpaſmodica nuncupari conſuevit, quæ SAUVAGESII (*d*) ſacerdotem, literatumque SCHACHERI (e) afflixit. Quod vero ad intenſitatem pyroſeos attinet, ea ſæpe tanta eſt, ut *ignem vivum æmuletur*: „ tantus ſæpe ardor in„ feſtat ſtomachum, inquit J. F. HERTOD „ (*f*), ut ardentem carbonem ſubſtratum „ jurares „. Et „ quando eructare volunt, „ addit F. PLATERUS (*g*), vehementem ar„ dorem ſentiunt, intercluſo velut igne „ flammeo, nec erumpere valente „. Quod ſi porro cardialgia pyroſi juncta, quemad-

---

(*a*) Vide §. 38.
(*b*) Vide §. 37 n. 1.
(*c*) Vide §. 30 n. 2. b).
(*d*) Vide §. 44.
(*e*) Vide §. 39.
(*f*) Crocologiæ cap. 15. p. 155.
(*g*) Prax. med. T. 2. de dolorib. cap. 11.

modum BAADERI (*a*) quinquagenario, BRÜCKMANNI (*b*) Eccleſiaſtico, LOTICHII (*c*) viro, PLATERI (*d*) nobili, LENTILIIque (*e*) vitriario ac virgini (*f*), nec non mulieri STEGMANNI (*g*), accidit, præſto ſit, facile patet, quantis ambæ ſimul ægros cruciatibus afficiant.

b) *Extenſio* porro doloris hujus perinde variat. Haud raro intra ſolum ſtomachum acerbitas ejus continetur; interdum tamen ultra illius limites tormenta ſua profert. Sic DETHARDINGII (*h*) feminæ in dorſum uſque, aurifabro autem ETTMÜLLERI (*i*) è dorſo antrorſum, („ quod rarum eſt, inquit ille, et inter 100 cardialgias vix una occurrit taliter ſe habens „) matronæ WEIKARDI (*k*) ab liene ad ſtomachum

(*a*) Vide §. 18 n. 4. a).
(*b*) Vide §. 30 n. 2. d).
(*c*) Vide §. 50.
(*d*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*e*) Vide §. 47.
(*f*) Vide infra in c) n. 1).
(*g*) Vide §. 41.
(*h*) Vide §. 28 n. 1.
(*i*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*k*) Vide §. 62.

ac thoracem, ad æſophagum MEIBOMII (*a*) ægro, ad ½ ſternum Religioſo apud CHESNEAU (*b*), ad uſque ſcapulas filiæ THONERI (*c*), et LENTILII (*d*) viro ad ſcapulas, uvulam, palatum, dentem, nares, oculosque excurrebat. Pyroſi ſane id ſolenne eſt, ut ardor ventriculi è fundo per cardiam in totum æſophagum ad fauces uſque diffundatur.

c) *Tempus* paroxyſmi aut exacerbationis pro varietate cauſæ varium eſt. Enimvero

1. *A paſtu* plerisque aut revertitur, aut exacerbatur; idque vel mox ad ingeſta quæque, vel vero, ubi digeſtio occipit. Sic à paſtu recrudeſcebat dolor feminis ADOLPHI (*e*), CHUDENIIque (*f*), vetulæ GOERITZII (*g*), virgini THONERI (*h*) ancillæ RIED-

(*a*) Vide §. 26.
(*b*) Vide §. 39.
(*c*) Vide §. 62.
(*d*) Vide §. 23 n. 4.
(*e*) Vide §. 74 n. 4.
(*f*) Vide §. 76.
(*g*) Vide §. 30 n. 1. c).
(*h*) Vide §. 62.

LINI (*a*), puerperæ WEDELII (*b*), ſartori BAUHINI (*c*), homini CAMERARII (*d*), vitriario LENTILII (*e*); viro MARTII (*f*) ac POTERII (*g*); Colonelloque POZZIS (*h*); magis vero exacerbabatur ab ingeſtis BAADERI (*i*) militi, HOFFMANNI gravidæ (*k*) ac civi (*l*), et opifici VOGELII (*m*), id quod LINCKII (*n*) femina ab acidis præſertim cibis experiebatur. Et cum GARNERI (*o*) militi ac Præfecto GOCKELII (*p*) illico ad alimenta aſſumpta emicuiſſet, quemadmodum R. LENTILII (*q*) etiam accidit virgini ad

(*a*) Vide §. 41.
(*b*) Vide §. 18 n. 1. b)
(*c*) Vide §. 17 n. 3.
(*d*) Vide hiſtor. 2.
(*e*) Vide §. 47.
(*f*) Vide §. 39.
(*g*) Vide §. 38.
(*h*) Vide §. 15.
(*i*) Vide §. 17 n. 2.
(*k*) Vide §. 30 n. 3.
(*l*) Vide §. 17 n. 1.
(*m*) Vide §. 46.
(*n*) Vide §. 30 n. 1. a).
(*o*) Vide §. 21.
(*p*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*q*) Eteodr. med. pract. Jul. 14. p. 642. 751.

ad 34 annos natæ, diuturnam cardialgiam compreſſivam, à paſtu, maxime meridiano, ſemper guſtato vix cibo illico ingruentem, ac bihorio interdum cum vomituritione et ardore ad gulam uſque aſcendente, pati ſolitæ, BERGERI (*a*) virgini nonniſi una alterave poſt hora, POTERII (*b*) Abbati hora inde 2ª 3ªve, ac poſt 4 horas demum à paſtu WEIKARDI (*c*) vini potatori, ac poſt aliquot perinde horas ejusdem vetulæ (*d*, à meridie WOLFFII (*e*) viro, et digeſtionis tempore SAUVAGESII (*f*) ſacerdoti, monialique ZANETTII (*g*) moleſtus erat. Matronæ tamen G. H. BEHRII (*h*) atrox dolor aliquando poſt ½ mox à paſtu horam emicans in 4 et amplius horas durabat; alias vero 5ª poſt comeſtionem hora primum ingruens per 15 ad 18 horas continenter ſæviebat: quoad hauſtis olei oliv. cochl. ij cum juſculo, excretiſque cibis non digeſtis, deſiiſſet. Pyroſis autem non ad quælibet, ſed ad acida plerumque vina aut pinguia

(*a*) Vide §. 17 n. 2.
(*b*) Vide §. 72 n. 4.
(*c*) Ibidem n. 3.
(*d*) Vide §. 65.
(*e*) Vide §. 30 n. 1. a).
(*f*) Vide §. 44.
(*g*) Vide §. 48.
(*h*) Medic. conſultat. conſ. 2. p. 11.

aſſumpta, reverti conſuevit: ita à vini potu virum DONAUERI (*a*), et à pinguium uſu præſertim MARXII (*b*) quadragenarium invadebat. Interea

2. *Jejuni* quoque interdum cum cardialgiam tum pyroſin experiuntur; hæc LENTILII (c) virum non niſi à capto cibo deſerebat, et ſub veſperam ſemper virum RIEDLINI (*d*) infeſtabat: illa vero HIPPOCRATIS (*e*) virum et jejunum et ſerius à paſtu moleſtabat. Perinde apud H. SMETIUM (*f*) quidam „ de ventriculi „ dolore querebatur, qui eo inani mole„ ſtiam faceſſebat, perinde ac ſi illum de„ orſum traheret; cibis autem pleno minus „ moleſtus, ſicut etiam cum jaceret, quam„ vis vacuus „. Vacuo perinde ſtomacho tantum dolor laceſſebat ægrum T. THOMPSONI (*g*).

3. *Noctu* etiam et ſoda et cardialgia in nonnullos ſævire amant. VOGELII (*h*) juveni ſoda quolibet veſpere ad horam 10am

---

(*a*) Vide §. 46.
(*b*) Vide §. 69.
(*c*) Vide §. 23 n. 4.
(*d*) Vide §. 84.
(*e*) Vide §. 75.
(*f*) Miſcellan. medic. L. 10. p. 563. C.
(*g* Vide §. 84.
(*h*) Vide §. 50.

revertebatur: cardialgiam quavis nocte patiebatur miles Wisbadenſis (*a*), HEISTERIque (*b*) ſeptuagenarius; noctu perinde vexabat BALLONII (*c*) virum, Religioſumque GHESNEAUII (*d*), dum ad chorum ſurgeret, SPINDLERI (*e*) monialem, à primo ſemper ſomno RIEDLINI (*f*) feminam, alternis noctibus BARTHOLINI (*g*) filiam, et bis per hebdomadem nocturno tempore matronam HOLDEFREINDII (*h*).

4. *Incertis horis* diei cardialgiam et virgo HEMMANNI (*i*) et ſtudioſus HANNEMANNI (*k*), tolerabant, queis et verminoſi apud AMATUM (*l*), CHESNEAU (*m*), ac DODONÆUM (*n*) adnumerandi ſunt.

5. *Periodicum* autem malum eſt apud nonnullos, uti apud POTERII (*o*) quadragenarium, et alium Nobilem (*p*); ſed plerumque tunc indolem febris intermittentis

---

(*a*) Wisbadiſche Krankengeſchichte n. 5.
(*b*) Vide hiſtor. 5.
(*c*) Vide §. 16.
(*d*) Vide §. 39.
(*e*) Vide §. 53 n. 2.
(*f*) Vide §. 37 n. 2.
(*g*) Vide §. 25 n. 2. b)
(*h*) Vide §. 30 n. 2. d)
(*i*) Vide §. 43.
(*k*) Vide §. 46.
(*l*) Vide §. 33 n. 4.
(*m*) Vide §§. 40. 41.
(*n*) Vide §. 37 n. 4.
(*o*) Vide §. 38.
(*p*) Vide §. 25 n. 2 b)

præ ſe fert, ut ſuo loco (*a*) dicetur, vel ad periodos catameniorum ſuppreſſorum, quorſum forte menſtrua monialis apud LANZONUM (*b*) ſoda et menſtrua feminæ apud GUARINONUM (*c*) cardialgia, pertinet, aut anomalias podagræ, velut in CLERKII (*d*) ægro, &c. eſt referendum.

d) *Duratio* denique acceſſionum perinde eſt variabilis. Bihorium durabant in ADOLPHI (*e*) femina, LENTILIIque (*f*) virgine, aliquot horarum erant in HEMMANNI (*g*) ægrota, imo 8 horis continenter durare ſolebat dolor in MARTII (*h*) viro.

§. 7.

II. MORBI *abdominis* varii dolori cardialgico et ſodæ haud infrequenter ſe adjungunt, in primis

1. *Anorexia*, *ſitis.* Illam aut dolor ipſe, aut hærens in ſtomacho ſaburra, efficit, quæ plerumque ſitim ſimul accendit. Anorexiam ſenſere ALBERTI (*i*), HELLWI-

(*a*) Ibidem.
(*b*) Vide §. 74 n. 4.
(*c*) Conſ.. 170.
(*d*) Vide §. 30 n. 1. d).
(*e*) Vide §. 74 n. 4.
(*f*) Vide præced. c) 1)
(*g*) Vide §. 43.
(*h*) Vide §. 39.
(*i*) Vide §. 30 n. 1. a).

GII (*a*), LANZONIque (*b*) feminæ, GOERITZII (*c*) vetula, virgines BERGERI (*d*), FABRI (*e*), GRONERIque (*f*), milites BAADERI (*g*), SCATII (*h*), ac VOELKERI (*i*), bini apud CHESNEAU (*k*) Religioſi, Clericus RAUII (*l*), QVARINI (*m*) cachecticus, RAYGERI (*n*) ſenator, Helvetus REYDTII (*o*), ac viri HOFFMANNI (*p*) duo, RIEDLINI (*q*), TEICHMEIERI (*r*), atque ZACUTI (*s*). Solam autem ſitim COITERI (*t*) mulier, ob ſodam experiebatur.

2. *Hypochondria tenſa, ſuſpenſa, dolentia.* Sic in FORESTI (*u*) cognata hypochondria ſuſpenſa erant; ſiniſtrum dolebat feminæ ALBERTI (*x*), utrumqne CAMERARII (*y*) ægroto.

(*a*) Vide §. 37 n. 4.
(*b*) Vide §, 21.
(*c*) Vide §. 30 n. 1. e).
(*d*) Vide §. 17 n. 2.
(*e*) Viide §. 30 n. 3.
(*f*) Vide §. 34 n. 2.
(*g*) Vide §. 17 n. 2.
(*h*) Vide §. 18 n. 1. d).
(*i*) Ibidem n. 4. a).
(*k*) Vide §. 39.
(*l*) Vide hiſtor. 7.
(*m*) Vide §. 58.
(*n*) Vide §. 29 n. 2.
(*o*) Vide §. 70.
(*p*) Vide §. 79 & 17 n. 1.
(*q*) Vide §. 35 n. 4.
(*r*) Vide §. 18 n. 2.
(*s*) Vide §. 68.
(*t*) Vide §. 19.
(*u*) Vide §. 37 n. 3.
(*x*) Vide §. 30 n. 1. e).
(*y*) Vide hiſtor. 2.

3. *Singultus*, cujus moleſtiam juvenis LUDOLFFI (*a*), feminaque PRINGLII (*b*), et POMMEI tum monacha (*c*), tum ſeptuagenarius (*d*) ſodam paſſus, ſuſtinuere.

4. *Inflatio ventriculi*, in BERGERI (*e*) virgine, HANNEMANNI (*f*) ſtudioſo, quadragenaria HOEFERI (*g*), HOFFMANNI (*h*) cive, ac RIEDLINI (*i*) parocho obſervata.

5. *Ructus*, *flatus*. His vir CAMERARII (*k*), illis juvenes AMATI (*l*), MARTEAUII (*m*), quadragenarii MARXII (*n*) ac TEICHMEIERI (*o*), Clericus RAUII (*p*), viri apud BAINE (*q*) ac ZACUTUM (*r*) quorum iſte ſodam habuit, faber SCHENFELDERI (*s*) acidum eructans, et HARTMANNI (*t*) puerpera, conflictabantur; vetulæ autem GOERITZII (*u*) violentiſſimi, ac ſi lapides eliderentur, prorumpebant.

(*a*) Vide §. 22.
(*b*) Vide §. 61.
(*c*) Vide §. 44.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Vide §. 17 n. 2.
(*f*) Vide §. 46.
(*g*) Vide §. 21.
(*h*) Vide §. 17 n. 1.
(*i*) Vide §. 30 n. 1. a)
(*k*) Vide hiſtor. 2.
(*l*) Vide §. 33 n. 4.
(*m*) Vide §. 50.
(*n*) Vide §. 69.
(*o*) Vide §. 18 n. 2.
(*p*) Vide hiſtor. 7.
(*q*) Vide §. 70.
(*r*) Vide §. 68.
(*s*) Vide §. 53 n. 5.
(*t*) Vide §. 17 n. 1.
(*u*) Vide §. 30 n. 1. c).

6. *Angina ſpaſmodica*, cardialgiæ ſpaſmodicæ ſoboles, graviſſime interdum ægros plectit. Ita Præfecto GOCKELII (*a*) globus ille hyſtericis ſolennis è ſtomacho in fauces aſcendens perquam erat moleſtus, qui perinde feminam PRINGLII (*b*) identidem tantum non ſtrangulabat. RAYGERI (*c*) ſenatori deglutitio uſque adeo lædebatur, ut liquida non niſi ſorbillando ſumere quiverit; ſiquidem ad conatum deglutiendorum eorumdem ocyus enormis oriretur ptyaliſmus, deſcenſum liquidorum impediens. Imo feminæ SIMSII (*d*) intra aliquot horas gulæ ſpaſmus tantopere increvit, ut potus non ultra glottidem pro pelli conatu deglutitionis potuerit.

7. *Nauſeæ*, *vomiturio*, *vomitus*, frequentiſſima cardialgiæ, præſertim ſpaſmodicæ, phænomena, in pleriſque hic memorandis caſibus occurſura. Nonnullis tam impatiens ac irritabilis eſt doloris tempore ſtomachus, ut omnia quæque deglutita ægri

---

(*a*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*b*) Vide §. 61.
(*c*) Vide §. 29 n. 2.
(*d*) Vide §. 80.

revomant, velut BARTHOLINI (*a*) homo, GOERITZII (*b*) vetula, HARTMANNI (*c*) puerpera, PYEIque (*d*) mulier: alii bilioſa fere vomunt, ut ſartor BAUHINI (*e*), Patricia PLATERI (*f*), et gravida apud PYE (*g*), imo nigrorum quoque vomitiones interdum accidunt, quales GILLERI (*h*) æger, et SPINDLERI (*i*) monialis, perpetiebantur.

8. *Colicus dolor*, tormina. Hæc ſartor BAUHINI (*k*), illum GILLERI (*l*) Præfectus, puerpera HARTMANNI (*m*), ac LENTILII (*n*) femina, perferendum habuerunt.

§. 8.

III. MORBI *thoracis* ſive viſcerum vitalium perinde ut plurimum ſimul affligunt, et quidem

---

(*a*) Vide §. 29 n. 1.
(*b*) Vide §. 30 n. 1, c).
(*c*) Vide §. 17 n. 1.
(*d*) Vide §. 35 n. 4.
(*e*) Vide §. 17 n. 3.
(*f* Vide §. 22.
(*g*) Vide §. 35 n. 5
(*h*) Vide §. 17 n. 1.
(*i*) Vide §. 53 n. 2.
(*k*) Vide §. 17 n. 3.
(*l*) Ibidem n. 1.
(*m*) Ibidem
(*n*) Vide §. 25 n. 2, b).

1. *Anxietas*, ut in ALBERTI (*a*) ſtudioſo, feminis AMATI (*b*), HOYERI (*c*), HOFFMANNIque (*d*), gravida SCHUSTERI (*e*), virgine BERGERI (*f*), juvenibus LUDOLFFI (*g*), ac TREWII (*h*), pueris SAXONIÆ (*i*) er ZACUTI (*k*), viris CAMERARII (*l*), HOFFMANNI (*m*), ejusque Principe (*n*), ichthyopola FORESTI (*o*), militibus GARNERI (*p*) VOELKERIque (*q*) cachectico QUARINI (*r*), viris WOLFII (*s*), RIEDLINI (*t*), ejusque eſſedario (*u*).

2. *Raucedo*, quam PLATERI (*x*) infans eſt expertus.

3. *Dyſpnœa*, interdum ſuffocationem minans, velut in viris BAINII (*y*), CAMERARIIque (*z*), aurifabris ETTMÜLLERI

(*a*) Vide §. 18 n 1. c).
(*b*) Vide §. 33 n. 3.
(*c*) Vide §. 45.
(*d*) Vide §. 22.
(*e*) Vide §. 30 n. 2. d).
(*f*) Vide §. 17 n. 2.
(*g*) Vide §. 22.
(*h*) Vide hiſtor. 8.
(*i*) Vide §. 20.
(*k*) Vide §. 41.
(*l*) Vide hiſtor. 2.
(*m*) Vide §. 75.
(*n*) Vide §. 79.
(*o*) Vide §. 59.
(*p*) Vide §. 21.
(*q*) Vide §. 18 n. 4. a).
(*r*) Vide §. 58.
(*s*) Vide §. 30 n. 1. a).
(*t*) Vide §. 35 n. 4.
(*u*) Vide §. 33 n. 1.
(*x*) Vide §. 30 n. 1 a).
(*y*) Vide §. 70.
(*z*) Vide hiſtor. 2.

(*a*) ac RIEDLINI (*b*), juvene FORESTI (*c*), milite GARNERI (*d*), et Colonello apud POZZIS (*e*). ſtudioſo HANNEMANNI (*f*), ruſtico LEDELII (*g*), opifice VICATII (*h*), RHODII (*i*) pharmacopœo, femina LENTILII (*k*), RIEDLINIque ancilla (*l*) ac vidua (*m*).

4. *Syncope*, obſervata in feminis ADOLPHI (*n*), CAMERARII (*o*), DETHARDINGII (*p*) ac HOYERI (*q*), tum HAGENDORNII (*r*) puerpera, Patricia PLATERI (*s*), moniali POMMEI (*t*), puella SCHULTZII (*u*), binisque RIEDLINI (*x*) ancillis; item in AMATI (*y*) ægro, BAUHINI (*z*) ſartore, FORESTI (*α*) fratre, HILDANI (*β*) ju-

(*a*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*b*) Vide §. 38.
(*c*) Vide §. 37 n. 2.
(*d*) Vide §. 21.
(*e*) Vide §. 15.
(*f*) Vide §. 46.
(*g*) Vide §. 37 n. 4.
(*h*) Vide §. 51 n. 2.
(*i*) Vide §. 30 n. 1. c).
(*k*) Vide §. 25 n. 2. a).
(*l*) Vide §. 41.
(*m*) Vide §. 37 n. 3.
(*n*) Vide §. 74 n. 4.
(*o*) Vide §. 30 n. 2. d).
(*p*) Vide §. 28 n. 1.
(*q*) Vide §. 45.
(*r*) Vide §. 30 n. 1. a).
(*s*) Vide §. 22.
(*t*) Vide §. 44.
(*u*) Vide §. 40.
(*x*) Vide §. 41.
(*y*) Vide §. 33 n. 4.
(*z*) Vide §. 17 n. 3.
(*α*) Vide §. 84.
(*β*) Vide §. 30 n. 1. a).

vene, cive HOFFMANNI (*a*), Principe MERMANNI (*b*), opifice VICATII (*c*), viro denique HORSTII.

5. *Febris* etiam interdum, qualis dolores comitari ſolet, cardialgiæ ſe jungit; quippe quam expertæ ſint feminæ apud AMATUM (*d*) ac CHESNEAU (*e*), LANZONUM (*f*), et SIMS (*g*), matronæ FABRI (*h*) GLASERIque (*i*), gravida SCHUSTERI (*k*), HAGENDORNII (*l*) puerpera, ac puella RIEDLINI (*m*); hujus item (*n*), et AMATI (*o*), HOFFMANNIque (*p*) viri, tum vinitor THIBAULTI (*q*), POMMEIque (*r*) ſeptuagenarius.

§. 9.

IV. MORBI *encephali*, nervorumque haud ſecius interdum cardialgiæ accedunt. Nimirum.

(*a*) Vide §. 17 n. 1.
(*b*) Vide §. 19.
(*c*) Vide §. 51 n. 2.
(*d*) Vide §. 33 n. 3.
(*e*) Vide §. 40.
(*f*) Vide §. 21.
(*g*) Vide §. 80.
(*h*) Vide §. 33 n. 1.
(*i*) Vide §. 18 n. 2.
(*k*) Vide §. 30 n. 2. d).
(*l*) Ibidem n. 1. a).
(*m*) Vide §. 40.
(*n*) Vide §. 35 n. 4.
(*o*) Vide §. 33 n. 4.
(*p*) Vide §. 75.
(*q*) Vide §. 18 n. 1. a).
(*r*) Vide §. 44.

1. *Dolor capitis*, quo ſimul affligebantur LENTILII (*a*) ac TEICHMEIERI (*b*) viri, RIEDLINI (*c*) ancilla, gravida SCHACHERI (*d*), et vidua TILLINGII (*e*). Symptoma hoc plerumque in iis occurrit, quorum in ſtomacho ſaburra præſto eſt.

2. *Aphonia*, *balbuties*. Hanc LENTILII (*f*) vir, illam femina GOERITZII (*g*), adoleſcens HIPPOCRATIS (*h*), LUDOLFFIque (*i*) juvenis, ſæviente dolore perpeſſi ſunt.

3. *Delirium*, quo laborarunt puerpera HARTMANNI (*k*), domeſticus HILDANI (*l*), vir RIEDLINI (*m*), eques RUEFFII (*n*), juveniſque TREWII (*o*).

4. *Convulſiones* qua clonicæ, qua tonicæ. Clonicis afficiebantur AMATI (*p*), LINCKII (*q*), PRINGLIIque feminæ (*r*), BINNINGERI (*s*) lactans, HARTMANNI (*t*)

(*a*) Vide §. 18 n. 1. a).
(*b*) Ibidem n. 2.
(*c*) Vide §. 33 n. 3.
(*d*) Vide §. 39.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Vide §. 18 n. 1. a).
(*g*) Ibidem n. 3.
(*h*) Vide §. 20.
(*i*) Vide. §. 22.
(*k*) Vide §. 17 n. 1.
(*l*) Vide hiſtor. 6.
(*m*) Vide §. 35 n. 4.
(*n*) Vide §. 71.
(*o*) Vide hiſtor. 8.
(*p*) Vide §. 39.
(*q*) Vide §. 30 n. 1. a).
(*r*) Vide §. 61.
(*s*) Vide §. 38.
(*t*) Vide §. 17 n. 1.

puerpera, matrona FABRI (*a*), monialis POMMEI (*b*), HIPPOCRATIS (*c*) adoleſcens, juvenis apud MARTEAU (*d*), et opifex VICATII (*e*). HANNEMANNI (*f*) ſtudioſo tanta ventris elevatio ac motus pectoris oriebantur, ac ſi animal intus ventrem pectuſque moveret; ſubſultus vero tendinum LENTILII (*g*) in viro cernebantur. Huc adde tetanum letalem in HEISTERI (*h*) ancilla.

§. 10.

V. MORBI *artuum & cutis*, quos inter eſt

1. *Debilitas*, quam plerumque intenſiores quique dolores invehunt, quamque etiam ſenſerunt feminæ ALBERTI (*i*), GLASERI (*k*), LENTILII (*l*) ac RIVINI (*m*), civis item HOFFMANNI (*n*). ruſticus LEDELII (*o*), et Helvetus REYDTII (*p*).

(*a*) Vide §. 33 n. 1.
(*b*) Vide §. 44.
(*c*) Vide §. 20.
(*d*) Vide §. 50.
(*e*) Vide §. 51 n. 2.
(*f*) Vide §. 46.
(*g*) Vide §. 18 n. 1. a).
(*h*) Vide meum commentar. de Tetano §. 41. p. 106. ſq.
(*i*) Vide §. 30 n. 1. c).
(*k*) Vide §. 18 n. 2.
(*l*) Vide §. 25 n. 2. a).
(*m*) Ibidem b).
(*n*) Vide §. 17 n. 1.
(*o*) Vide §. 37 n. 4.
(*p*) Vide §. 70.

2. *Oedema* pedum ſpaſmodicis morbis admodum familiare, quod à cardialgia etiam in ſacerdote GOERITZII *(a)* eſt enatum.

3. *Frigus* extremorum, quod in matronis FABRI *(b)* ac WEIKARDI *(c)* notabatur.

4. *Tremor*, in FABRI *(d)* matrona, FORESTI *(e)* chirurgo, LENTILII *(f)* viro, ac ſenatore RAYGERI *(g)*, animadverſus.

5. *Arthritici dolores*, velut in HOFFMANNI *(h)* cive, ac PLATERI *(i)* Patricia adfuere.

6. *Sudor frigidus*, quem ſpaſtici dolores, et ſyncopen minantes plerumque eliciunt, id quod etiam in GOERITZII *(k)* vetula ac femina HOLDEFREINDII *(l)* accidit.

§. 11.

Præter hæc enumerata ſymptomata interdum alia quoque complura, at vel minus

---

(*a*) Vide §. 39.
(*b*) Vide §. 33 n. 1.
(*c*) Vide §. 6?.
(*d*) Vide §. 33 n. 1.
(*e*) Vide §. 37 n. 1.
(*f*) Vide §. 18 n. 1. a)
(*g*) Vide §. 29 n. 2.
(*h*) Vide §. 17 n. 1.
(*i*) Vide §. 22.
(*k*) Vide §. 30 n. 1. c).
(*l*) Ibidem n. 2. d).

conſveta vel à prioribus certe pendentia occurrunt, qualia ſunt: *hæmorrhagia narium* in DETHARDINGII (*a*) femina, *pruritus cutis* in SCHUSTERI (*b*) gravida, *apoplecticus ſtatus* in femina HEMMANNI (*c*), *ſomni turbulenti* in femina ALBERTI (*d*), *evigilatio cum pavore* in viro POTERII (*e*), *amauroſis* in juvene apud MARTEAU (*f*), quam convulſiones cauſarunt, &c.

(*a*) Vide §. 28 n. 1.
(*b*) Vide §. 30 n. 2. d).
(*c*) Vide §. 43.
(*d*) Vide §. 30 n. 1, c).
(*e*) Vide §. 38.
(*f*) Vide §. 50.

CAPUT IV.

PROEGUMENAE CAUSAE.

§. 12.

I. HAEREDITARIA *diſpoſitio* ad cardialgiam ſodamve in nonnullis reperitur, qualis adfuiſſe videtur in MARCARDI (*a*) puero à matre, et in DOLLFUSII (*b*) gravida, cujus perinde mater cardialgiæ decennium, in primis vero dum iſthanc ægram utero geſtaſſet, fuit obnoxia.

§. 13.

II. IDIOSYNCRASIA ad certi generis ingeſta F. A. WEBER (*c*) feminam novit, cui aqua Colonienſis multis alioquin gratiſſima, cardialgiam ad vomitum uſque accerſit. J. G. HOYERI (*d*) „ femina junior toties atrociſſi-

(*a*) Vide §. 55.

(*b*) Vide §. 62.

(*c*) Nota 1. in TISSOT Abhandl. von den Nerven und ihren Krankh. 3 Band 13 Cap. §. 51. p. 136.

(*d*) Act. nat. cur. Vol. 4. obſ. 34.

„ ma cardialgia affligebatur, quoties allio „ veſcebatur; cui antiſpaſmodica, nervina „ ſtomachica et abſorbentia levamen afferebant„ J. J. WEPFERUS (*a*)„ novit nobilem „ matronam; deguſtato aceto, aut comeſto „ fructu crudo ſive dulci ſive acido; protinus ſæva cardialgia et torminibus correptam fuiſſe „. Similem etiam caſum G. E. STAHLIUS (*b*) memorat: „ vir juvenis pomum citreum à puella ſibi oblatum „ deguſtans, et in convivio quidem, incertum an à reliqua forte repletione, an hujus pomi culpa, in gravia pathemata cardialgico-vomibunda mox prolapſus, profunda ad minimum ingurgitatione, pomi „ hujus eſui culpam illam deſtinavit: à quo „ tempore non ſolum videre tamen, et olfacere libenter poma talia ſuſtinuit, ſed „ ne quidem ab eſu illorum præſentaneo „ faſtidio abſtinere neceſſe habuiſſet, imo „ vel gratum illorum ſaporem habuiſſet, niſi „ in ventriculum demiſſa vomibundas cardialgias induxiſſent, non prius ceſſantes,

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 2. obſ. 171. Schol. p. 309.
(*b*) Diſs. de moroſis ægris §. 41. p. 34. (4to. Halæ 1714. Reſp. B. F. JACOBI.)

„ quam vomitu iterum rejecta fuiſſet illo-
„ rum ſubſtantia, eo uſque, ut, dum gravi
„ morbo chronico decumbenti paſſim hono-
„ ris et amoris ergo exquiſitiores quædam
„ dapes mitterentur, juſculum etiam aliquan-
„ do vinoſum, ſeu pulticulam aromatibus
„ uſitatis exquiſite ad gratiam conditam,
„ nactus cum voluptate etiam illud aſſumpſe-
„ rit; ſed mox inquietudine varia, et om-
„ nium morbi ſymptomatum exaſperatione
„ quamvis ſine præeminente cardialgia, af-
„ fectus, et cum his pathematibus præſen-
„ taneo majorum periculorum metu confli-
„ ctatus in 3um uſque diem, tum demum
„ conſurgente nauſea in vomitus ruente,
„ dum pulticulam illam nudius tertius aſ-
„ ſumptam revomit, ſaporem manifeſtum
„ corticum citri, quem in aſſumptione nul-
„ latenus animadverterat, liquido percipiens,
„ tunc demum pathematum horum proxi-
„ mam cauſam expertus, poſtea ad priſtinam
„ morbi mediocritatem facile rediit „. Ea-
dem quoque de ſoda ſunt animadverſa.
Ita (*a*) matrona 30 annorum, boni habi-
tus, quoties fragis veſcebatur, in lingua

(*a*) Mediciniſche Anecdot. 2 Th. n. 235.

labiisque punčturas cum ſtomachi incommodo, internoque frigoris, ac ſi glaciem comediſſet, ſenſu patiebatur, ſimulque labia, naſus, et aures adeo intumuerunt, ut duplam magnitudinem habere viderentur. Haud ſecius apud C. F. PAULLINI (*a*) adoleſcens ab eſu raparum ſemper vomitum, et poſt hunc moleſtum patiebatur ſtomachi ardorem; quem tamen ſumpto mox ve ♄ tuſtæ muſcoque obſitæ tegulæ ex ▽ fl. Acaciæ ſedabat.

§. 14.

III. PASSIO *hyſterica hypochondriaca*, cujus ob habitum cardialgiam ſodamve haud raro ægroti experiuntur, præſertim ſi primis in viis colluvies prava aut ſaburra ex ingeſtis collečta fuerit. Sic ſodam POMMEI (*b*) ſeptuagenarius, cardialgiam HEISTERI (*c*) Profeſſor, cachečticus QVARINI (*d*),

---

(*a*) De nuce moſchata S. 2. P. 3. membr. 1. Cap. 8. §. 6. p. 457.

(*b*) Vide §. 44.

(*c*) Vide hiſtor. 3.

(*d*) Vide §. 58.

Clericus RAUII (*a*), Præfectusque GOCKE-LII (*b*), ex hypochondriaco malo, exhyſterica porro affectione FORESTI (*c*) cognata, femina MICHAELIS (*d*), RIGLERI (*e*) puella, ac VICATII (*f*) plebeia, eandem ſunt expertæ.

§. 15.

IV. TUMORES *vicinarum partium* (præprimis pancreatis) ſtomacho contigui, à queis iſte, dum ingeſtis repletior factus in motu eſt, perpetuo irritatus dolet. Id genus cardialgiæ caſus præter BAADERUM (*g*) etiam A. de POZZIS (*h*), RIOLANUS (*i*), RIVERIUS (*k*), SPONIUS (*l*) aliique (*m*)

(*a*) Vide hiſtor. 7.
(*b*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*c*) Vide §. 37 n. 3.
(*d*) Vide §. 35 n. 4.
(*e*) Vide §. 75.
(*f*) Vide §. 37 n. 5.
(*g*) Vide §. 17 n. 2.
(*h*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 4. obſ. 31.
(*i*) Anthropogr. L. 2. C. 16.
(*k*) Obſ. med. Cent. 1. Obſ. 90.
(*l*) In BONETI ſepulcr. anat. L. 3. S. 8. Obſ. 49.
(*m*) VIRIDET Traité du bon Chile T. 1. p. 29. TISSOT l. c. 2 B. 9 C. §. 125. p. 397.

litteris mandarunt; ſed hi melius aliorſum referendi ſunt.

§. 16.

V. XYPHOIDES *cartilago introvergens*, ſive id naturæ conformationis vitio, ſive vi externa adhibita acciderit: quo fit, ut ventriculus à paſtu aſſurgens continenter in cuſpidem cartilaginis enſiformis impingendo ſenſum doloris excitet. Neſcio, num huc G. BALLONII (*a*) obſervatio ſpectet: vir „ annos duos pene integros alvinis ſympto„ matis diſcrutiatus eſt, et doloribus ad „ ventriculi regionem incredibilibus. Mor„ tuus eſt tandem; cum alvus diu ante flu„ xiſſet, dolores iſti ceſſaverant. . . Aper„ to cadavere inventum eſt hepar plane al„ bicans et ſemiputre; cartilago xyphoides „ induruerat valde, et inferiore ſui parte „ eminebat (*ſed introrſumne, an extror„ ſum?*) . . . Maxime dolores erant no„ cturni: nullis remediis allevatus eſt. Pri„ die, quam moreretur, per os excrevit

(*a*) Epidem et Ephemer. L. 2. p. 242.

„ atrabilarium ſanguinem; hinc veritas aph. „ 23 S. 4 „ :

§. 17.

VI. VENTRICULI *vitia* varia, ut eſt

1. *Amplitudo* vel *anguſtia* juſto major. F. GILLERUS (*b*) medicinam fecit Præfecto viarum 48 annos nato, cholericoque, diætæ etſi juſtæ, interdum tamen vino, pyraceove potui, ac durioribus cibis indulgenti, qui decennium integrum crebros colicæ et cardialgiæ ſpaſmodicæ cruciatus, violento ſemper vomitu deſinentes patiebatur; maloque nullis cedente remediis, poſtremis vitæ menſibus extenuari paulatim, ac palleſcere cœpit, vomituſque uberiores, crebriores ac ſenſim nigerrimi fiebant, quorum ultimus copioſiſſimus mortem attulit: In cadavere aperto non omentum, non inteſtina, ſed ſaccus vacuus totum abdomen obtegens et ad imum pelveos uſque productus in oculos incurrit, non tam ventriculi, quam ſacci membranacei irregularis figuram exhibens, Binis orificiis vel nil vel parum è ſede natu-

---

(*a*) Act. Helvet. Volum. 3. p. 10. ſqq.

rali diductis, ſed lateribus et fundo ventriculi ac parietibus undiquaque elongatis, dextrorſum nempe, ſiniſtrorſum, ac deorſum, nec non oblique utrinque deductis. Ad pylorum et œſophagum injectis vinculis abſciſſus hic ſaccus, flatuque diu immiſſo ad tantam magnitudinem intumuit, ut virilem quemvis ventriculum triplum excederet, ſumptaque cannabino filo menſura longitudinem $2\frac{1}{4}$ ulnarum, craſſitiemque ſeu latitudinem $\frac{7}{8}$ ulnæ exæquaret. Hæcne etiam ſtomachi amplitudo culpanda eſt in caſu P. I. HARTMANNI (*a*)? Videlicet primipara 20 annorum, imbecillis, ubi vix ſatis collectis viribus juglandes copioſe comediſſet, anorexiam, vehementemque cephalalgiam, cum febrilibus ſymptomatis nacta eſt, donec vomitus ſpontanei juglandium poſtridie oborti hæc mala abegiſſent. Cum autem die poſtero femina denuo inſignem anatis aſſatæ portionem ingeſſiſſet, mox à prandio ſtomachi preſſionem ſenſit cum ructibus, cardialgia, colica, vomitu omnium aſſumptorum, ac præternaturali alvi obſtructio-

(*a*) Diſſ. cardialgiam colicamque funeſtam ab ingeſtis ortam ſiſtens §. 23. Reſp. D. F. KRÜGER 4to. Francof. 1775.

ne: quæ mala quod ad remedia domeſtica potius creſcerent, datis 5to ab eſu juglandium die Ypecac. ℈β cum crem. 🜿ri ℈j ægra copioſam vomerit pituitam craſſam cum levamine, at non diuturno; etenim cardialgiæ in locum paulo poſt ſucceſſit atrox inteſtinorum dolor, uno loco fixus, cum pulſu parvo debili et inæquali, lingua mucoſa, faciei pallore, clavo hyſterico, lotio pauco ac tenui, vomitu pituitoſo, et inexpugnabili ad mortem uſque alvi obſtructione. Nec flatus nec ructus emiſſi dolorem leniebant; et quidquid ano catove infundebatur, omne iterum utrinque ſine levamine rejiciebatur, ne balneis quidem et cataplaſmatibus, ac demum fumo etiam tabaci per anum immiſſo, opitulantibus, etſi pro tempore levare videbantur. Hinc morbo creſcente cum inquietudine et anxietatibus, acceſſere deliria et epilepticæ convulſiones, opiſthotono bis interpolatæ, quem ſpaſmus cynicus et riſus Sardonius excepit. Ægra tunc furibunda è lecto in curſum ſe efudit, donec poſt 3½ horas laſſatam lecto denuo repoſuiſſent. Poſt ſomnum ad rationem rediit, ſed convulſionibus è brevioribus ſemper intervallis majore cum vehementia revertentibus

in 6ª demum earum acceſſione, ¼ diei ſuperante, exſpiravit. Anus in vigore morbi conſtrictiſſimus enema non admiſit, niſi extremo vitæ tempore, quo facile injectum non amplius excretum eſt. Vomitus quoque ingruente epilepſia ceſſabat. In cadavere poſtero à morbe die aperto hepar majus ſolito apparuit, et grumoſo cruore nigreſcente plenum, cyſtiſque fellea vacua: ventriculus ſtupende expanſus præter paulo ante mortem aſſumpta et bilem atram nihil fere continebat, pyloro ita conſtricto reperto, ut vix tenuiſſimum ſtilum admiſerit: inteſtina tenuia pariter conſtricta leviterque inflammata, in binis vero diverſis locis, initio nempe ac medio fere ilei, uſque adeo diſtenta erant, ut diameter 3 pollices ſuperaret; in locis conſtrictis nihil, in expanſis vero materia viſcida et è flavo nigricans, præſto erat, à conſtrictione vicinarum partium ita compacta, ut loco moveri nullatenus poſſet. In colo fere collapſo pauca fex viſcida cum enemate reperiebatur. Ceteræ abdominis partes, præter glandulas meſenterii tumidas, nil vitii exhibuere. Superiora cava non fuere luſtrata. Quibus autem juſto anguſtior eſt ventriculus, quam ut de-

bitam alimentorum copiam recipere queat, id genus homines pro appetentia comedentes ventriculi diſtentioris dolorem à paſtu ſentiant, oportet; id quod jam RIOLANUS (*a*) monuit, ac multo etiam ante ipſum GALENUS (*b*) „ vidit ventriculum cujusdam „ ita parvum, rotundum, ac propenſum in „ ilia, ut propria circumſcriptio perſpicue „ appareret ſpectanti et attrectanti „. Poſtea idem vitium P. FORESTO (*c*) obſervare contigit in puella Delphenſi, quæ „ perpetuo male habebat in ſtomacho; nam à „ natura anguſtior factus erat, quem his „ notis (ait) deprehendimus: nam plurimo „ cibo diſtentus ſtomachus lædebatur; ſed „ exhibito exiguo cibo, idque frequenter, „ minus offendebatur, et commodius tunc „ cibum concoquebat. . . . Tandem in „ mandatis dedimus, ut parum et frequenter cibum concoctu facilem ſumeret „. Forte et huc H. F. DELII (*d*) caſus pertinet, uti et ille, quem refert F. HOFFMAN-

---

(*a*) Enchirid. L. 2. C. 23.
(*b*) Artis parvæ L. 2.
(*c*) Obſ. et cur. medic. L. 18. Obſ. 34.
(*d*) Vide §. 29 n. 4, b).

NUS (*a*) : „ memini (inquiens) olim civem
„ Mindenſem correptum acerbiſſimo dolore
„ nec non tumore circa regionem ventricu-
„ li, appetitus erat dejectus, et poſt cibum
„ dolor ille increſcebat. Vomitu ut pluri-
„ mum rejiciebat cibos, accedebat marcor
„ omnium partium, dolor articulorum, vi-
„ rium proſtratio cum frequenti lipothymia;
„ alvi excrementa in nigrum colorem muta-
„ ta erant. Per integrum ferme annum mi-
„ ſere ſic afflictus tandem placide fato con-
„ ceſſit. Cadavere aperto totus ventricu-
„ lus parvus, craſſiſſimus, quaſi carnoſus,
„ et albicans inveniebatur, intrinſece ru-
„ bra punctula inveniebantur; levi inciſione
„ materia ſanioſa putrida exſtillabat. In ve-
„ nis et corde parum vel nihil ſanguinis ex-
„ ſiſtebat. Cauſa hujus mali antecedens
„ fuit largiſſima 🜄 matutino tempore po-
„ tio „. Potuit hæc utique ad eandem an-
guſtiam reducere ſtomachum, quam alii na-
tivam adepti ſunt, præter alia etiam vitia
eidem ſimul conſcita.

(*a*) In P. POTERII obſ. et annot. Cent. I. cap. 24 nota (a).

2. *Situs præternaturalis.* Inſignem hujus rei caſum ad poſteros dedit J. J. BERGERUS (*a*) de virgine 20 annorum, quæ annicula febrem paſſa, poſtea ſemper valetudinaria manſit, crebras ſtomachi inflationes, anxietates, moliminaque febris, experta. Adoleſcentem cardialgia vexare cœpit, in primis hora una alterave à paſtu, ut veſtes laxare debuerit, quæ cum ætate invaleſcebat, nec menſium 16to ætatis anno eruptione, nec variolis, nec ullo remediorum genere, expugnanda; donec accedentibus anorexia, alvi ſegnitie, menſium ſuppreſſione, extenuatione corporis, vomitu, tuſſi primum ſicca, dein purulentis cum ſputis, demum palpitatione cordis, ſpaſmodica muſculorum abdominis introtractione; ac ſæviſſimis ſub et à mictu doloribus, miſella eſt exſtincta. Aperto ventre ſtomachus in regione umbilicali et hypogaſtrica repertus eſt; pylorus in regionem dextram lumbarem deſcendens recta inde in hypochondrium dextrum una cum portione duodeni $1\frac{1}{2}$ pollicem longa, ſub cyſtide ſita, rurſum aſcen-

(*b*) Nov. Act. Haunienſ. Vol. 1. Obſ. 15. p. 171. ſqq.

debat. Hinc et cetera viſcera ob nexum vitioſe locata viſebantur, tota fere tenuium inteſtinorum mole imam in pelvim depulſa. Porro lævo in rene ulcus repertum, præviæ inflammationis in veſica veſtigia, pulmones tuberculoſi, contracti, in primis dexter, inſignem ſimul vomicam habens, &c. Huic analogum caſum literis mandavit J. BAADER (*a*): miles 40 annos natus ſemper ſanus, ſubito de obtuſo circa ſtomachum dolore, potiſſimum à paſtu recrudeſcente, queſtus eſt, qui in dies creſcens cum duro loci affecti tumore, atque ad omnia remedia contumax, poſtquam appetentiam ſuſtuliſſet, ægrumque extenuaſſet, mortem demum intulit. Recluſo in abdomine hepar fere 7 ℔ appendens ad lienem uſque protenſum, eique nexum fuit, ultra 12 tumores ovum gallinæ æquantes continens, partim purulentos, partim ichoroſos, partim ſteatomaticos. Lien zonam cartilagineam 2. 3. lineas latam, poſterius qua coſtas tangit, habuit. Pancreas totum, huicque proximæ omenti ac meſenterii partes, in ſcirrhum induruere. Ventriculus porro eum obtinebat

(*a*) Obſervat. medic. 12.

ſitum, ut pylorus deorſum, ſurſum cardia, ad perpendiculum vergerent, (imo vero deorſum cardia, pylorusque ſurſum obverſus fuiſſe videtur, ut ſequentia Auctoris verba innuunt:) „ hinc extremitas ventri„ culi dextra facta eſt ſuperior, ſiniſtra . . . „ inferior; major . . . curvatura dextrum, „ . . . minor ſiniſtrum latus reſpexit; . . . „ facies ventriculi ſuperior antica, . . . in„ ferior poſtica facta eſt „ . Totus arcus minor ultra pollicem craſſus ac ſcirrhoſus erat.

3. *Accretio ad vicina*, qua fit, ut dum ventriculus ad ingeſta ſeſe contrahere nititur, dolorificam diſtractionem patiatur. Refert. G. BAHINUS apud T. BONETUM (*a*), fuiſſe ſartorem ad 30 annos natum, qui à 12mo ferme ætatis anno valetudinarius ex intervallis vomitu bilioſo, alvo conſtipatiſſima, torminibus, et cardialgia, præſertim à paſtu, vexabatur, macer ac facie plerumque flaveſcente. Poſt incaſſum pluribus annis uſurpata remedia, tandem trimeſtri ante obitum incidit in crebras lipothymias, vomitumque puri primum ſanguinis, dein

(*a*) Sepulcr. anatom. L. 3. S. 8. Obſ. 44.

aquæ nigerrimæ quovis m. & v. ad ℔ ij. cui ſimilem alvo quoque ſolis enematibus mota excernebat. Accedente demum iſchuria, et ventre, ubi vomitus remiſit, ſenſim inflato, obiit. Abdominis in cavo multa aqua nigra, qualem in vita vomebat; in thorace aquæ rubellæ copia; major hepatis lobus circiter $\frac{1}{6}$ ſui parte intra ventriculi cavum receptus videbatur, ſtomachi tunicis exterius hepati anterius poſteriuſque concretis, nec ſine lacerato hepate ſeparandis: pars hepatis ventriculo inſerta duritiem cartilaginis, foveamque (forte à crebra ingeſtorum ad ipſam alliſione) habebat; et in ventriculi cavo materia nigerrima pultacea ad menſuram unam continebatur. Alium quoque BONETUS (*a*) caſum ventriculi anterius epigaſtrio ad palmæ ſpatium ope corporis albi craſſi durique interjecti, poſterius pancreati accreti, ut ſine diſſectione neutrinque ſeparari potuerit, in vetula reperti è G. BLASIO (*b*) velut cauſam cardialgiæ refert; ſed iſte nuſpiam cardialgiæ in vita vetulæ obſervatæ meminit.

(*a*) Ibidem S. 7. Obſ. 50.
(*b*) Obſ. med. P. 4. Obſ. 2.

4. *Choledochus ductus ſtomacho inſertus.* Tunc enim bilis vacuum in ventriculum uberius influens, cum pro varia ſua acrimonia plus minus laceſſens, dolores jam ſæviores jam mitiores cauſare valet. ZACUTI (*a*) faber lignarius biennio immanem patiebatur ex intervallis cardialgiam, quam bilis vomitus ſemper ſolvebat, poſt 4 dies iterum redituram, vomituque bilis denuo ſolvendam. Continua oris amarities aderat. Nullis proficientibus remediis tandem ſuperveniens gaſtritis hominem è medio ſuſtulit. In cadavere ductus choledochus fundo ventriculi implantatus eſt repertus.

5. *Tumores*, *ulcera*, ut ſunt abſceſſus, foramina, ſcirrhus, cancer, hydatides, &c. ventriculi. Sed horum exempl, ſuis ubique locis melius quærenda non eſt viſum huc traducere, ob numerum præſertim eorumdem haud exiguum.

CA-

(*a*) Prax. med. admir. L. 2. Obſ. 1.

CAPVT V.

PROCATARACTICAE CAVSAE.

§. 18.

I. INGESTA *copia* vel *indole* peccantia. Copia enim vel nimia ſtomachi, anguſti (*a*) præſertim, diſtentione, vel degeneratione in acrem lentamve ſaburram dolores cauſat; indoles vero, ſi ingeſta ſint vel idioſyncraſiæ (*b*) adverſa, vel pondere gravantia, tenacitate non digerenda, vel frigida, vel flatulenta, vel acria. Hinc

1. *Dyſpepta* varia, cujusmodi ſunt

a) *Alimenta tenaciora*, qvam ut à dato ventriculi robore ſubigi prorſus queant, praeſertim quibus eſt imbecillior ſtomachus, velut HARTMANNI (*c*) puerperæ ex aſſæ anatis eſu accidit. J. STORCH (*d*) meminit juvenis 20. annis majoris, qui poſt farcimi-

(*a*) Vide §. 17. n. 1.
(*b*) Vide §. 13.
(*c*) Vide §. 17. n. 1.
(*d*) Obſ. Clinic. ann. 4. Aug. Cl. 4. §. 3. n. 5. p. 431.

num (*Knackwürſt*) eſum ac cereviſiæ potum poſtridie in choleram cùm cardialgia ſpaſmodica incidit; quam etiam literatus HAGENDORNII (*a*) à muræniſ, RIEDLINIQUE mercator (*b*) ab oſtreis, monachus (*c*) ab aſelli eſu, et juvenis (*d*) à rapæ crudæ eſu contraxit, cum ventriculus adeo illi eſſet imbecillis, ut minimos diætæ errores ſentiret, ac licet rapæ vinum ſuperbiberit, tamen dolor ſtomachi cibum hunc ſecutus eſt, gravativus primum, dein tam ardens, ut in lecto non niſi ſedens ſpirare potuerit, donec Ωu Juniperi ad cochl. 2. 3. ſumpto mitigatus eſſet, relicta nihilominus poſt ſe moleſta ſtomachi gravitate. Cardialgiam à rapis etiam PEZOLDI (*e*) ancilla eſt adepta, uti et puella novennis RIEDLINI (*f*) à pyro ſiccato; quam à caſeo ingeſto etiam FABRI (*g*) matrona perpeſſa eſt. Haud ſecius R. LENTILII (*h*) podagricus ad 46. annos na-

(*a*) Vide §. 33. n. 1.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Vide § 32.
(*d*) Lin. med. ann. 5. Decembr. 7. p. 12. qq. ſqq.
(*e*) Vide §. 33. n. 1.
(*f*) Vide §. 40.
(*g*) Vide §. 33. n. 1.
(*h*) Eteodr. med. pract. p. 509.

tus, è malis quibusdam convaleſcens, cum caſeo nimis indulſiſſet, incidit in cardialgiam, hinc atrociſſimam cephalalgiam, ut fere viſum amitteret, et aliquoties animo deficeret. Aderant ſimul tremores artuum, cervicis tenſio, loquelæ difficultas, ac tendinum ſubſultus. Porro C. F. PAULLINI (*a*)
„ puella 16 annorum ore aliquando tenebat
„ minutum aliquem caſeolum è vaccino la-
„ cte confectum. Acceſſit à tergo frater
„ ejus, manuque puellæ in fauces fortius
„ intruſa, ipſa conſternata integrum caſeum,
„ licet non ſine difficultate, deglutiit. Ab
„ illo die ultra triennium acerbos et tan-
„ tum non perpetuos paſſa dolores ventri-
„ culi; donec tandem vetula caſeum jam
„ plane lapideum ἄνω καὶ κάτω fruſtillatim
„ expelleret „. A lardi fumo durati corio deglutito HILDANI (*b*) matrona biennalem cardialgiam ſenſit. Digniſſimus autem memoria caſus eſt THIBAULTI (*c*) de vinitore, qui menſe Octobri A. 1758. aliquot a venæ

(*a*) l. c. Cap. 9. §. 11. p. 462.

(*b*) Vide §. 32.

(*c*) Neue Samml. auſerl. Wahrnehm. aus allen Theilen der Arzneywiſſ. 5. Band. n. 41. p. 339.

grana comeſta uſque ad finem Julii A. 1759. in ſtomacho retinuit, quo temqore ſemper jam febri jam vomituritione, maxime vero cardialgia cum ſcorbuti indiciis vexabatur. Dato emetico excuſſa avena, quam cathartica draſtica educere nequiverunt, convaluit. Grana hæc actis in ſtomacho radicibus germinarunt, protruſo debili et absque granis ſtramine, &c. Idem prorſus cum iſto caſus eſſe videtur, quem apud BAYLE refert BUISSIERE (*a*), niſi quod pro vinitore miles ſit æger.

b) *Pinguia* quoque debilibus in ſtomachis haud raro aut cardialgiam aut ſodam excitant. „ Sic dabant, inquit G. WOLFG. „ WEDELIUS (*b*), adſtantes feminæ puerperæ tria circiter olei lini cochlearia, ex „ quo in hunc uſque diem ventriculus adeo „ eſt debilitatus, ut ſumpta alimenta maximus angor et cruciatus inſequantur car„ dialgici: unde et ægra, quam diu fieri „ poteſt, à cibo atque potu abſtinet „. So-

(*a*) Hamburg. Magaz. 22. Band. p. 553.

(*b*) Diſſ. de fruſtranea et in conv. medicamentor. adhibitione P. 2. C. 4. §. 4. p. 31. (Reſp. J. DOELZIO 4. Jenæ 1715.)

dam ab lardi eſu PAULLINI (*a*), in quodam, cui ille ♁e ex putaminibus juglandium cum ▽a fl. ſamb ſumpto illico mederi ſolebat, et à cibis oleoſis FISCHERUS (*b*) in monacho, ortam meminere.

c) *Terreſtria medicamenta* uberius aſſumpta quantum ſtomacho obſint, jam ſæpius eſt obſervatum. Narrat E. HAGENDORN (*c*) mulierem 20 annis majorem è cauſo decumbentem ab uſu complurium ♁rum cum interpoſitis julepis acidis, ubi æſtus febrilis eam reliquit, in tantam incidiſſe cardialgiam, ut ob continuos dolores praefocantes et comprimentes toto menſe ſolis liquidis nutriri debuerit, donec malum ſenſim deſiiſſet. Ita etiam M. ALBERTI (*d*) „ obtigit ille caſus „ in illuſtri quadam perſona, quæ frequen„ tius podagricos cruciatus experiebatur: „ hæc cum aliquando graui iracundiae affe„ ctu commoveretur, ad praeoccupandam „ podagrae invaſionem aliquam copiam ocu-

(*a*) l. c.

(*b*) Vide §. 51. n. 3.

(*c*) Hiſtor. med. phyſ. Cent. 2. hiſt. 6.

(*d*) Diſſ. de abſorbentium utilit. et damnis in praxi med. §. 3. p. 11. (Reſp. J. F. BRUCH 4. Halæ 1722.)

„ lor. 69 cum roob ſambuci ingeſſit; mox „ vero in graviſſimam cardialgiam delapſa „ eſt, ſub qua in ventriculo eximiam fer-„ mentativam commotionem ſenſit: aſt dum „ proprio auſu ad ſublevandam hanc cardial-„ giam patiens ad ſudandum ſe compoſuit, „ eximius ſubſecutus erat orgaſmus ſanguinis, „ cum motu febrili et coniuncta efflorescen-„ tia majorum puſtularum cum tenui lympha „ oppletarum, praegreſſam ambuſtionem re-„ ferentium „. Triſtiorem autem exitum habuit Ejusdem (*a*) ſtudioſus, qui perinde febricirans poſt emeticum triduo [symbol]es abſorbentes largius aſſumendo inſignem ſibi accivit cardialgiam cum anguſtia lipothymica et vomituritione, ac die 7° ſummos inter dolores ſuffocantes evomuit magma albicans mucidum, quod ſiccatum abſorbentes illos [symbol]es eſſe docuit. Vomitui ſucceſſit ſopor nulli remedio cedens, die 9° ſupervenere ſpaſmi, die 10mo mors. Idem etiam à pilularum abuſu obſervatum eſt eveniſſe; etenim apud G. BALLONIUM (*b*) „ Equiti Torquato de im-„ becillitate ſtomachi conquerenti, et quod

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 2. Obſ. 139.
(*b*) Paradigmat. 110.

„ tenebricoſum quid oculis objiceretur, . . .
„ conſuluerunt, ut quotidie pilulam ex aloe
„ ante paſtum deglutiret. A dolore ſtoma-
„ chi interiit. Ferunt refertam in alvo in-
„ tegram maſſam pilularum; nam et fre-
„ quentiam medicamenti natura eluſit, et
„ forte, cum pilulam caperet, genio indul-
„ ſit, ut medicamentum impotens fuerit „.

d) *Nuclei oſſa.* Apud v. RIEDLINUM (*a*) exſtat caſus hominis „ qui per aliquot „ annos de ventriculo male ſe habente con-
„ queſtus fuerit, identidem etiam vomitu
„ ingeſta rejecerit; et cum plura medica-
„ menta fruſtra his malis oppoſuiſſet, tan-
„ dem fatis ceſſerit. In hujus poſt mortem
„ aperto venrriculo inventum fuiſſe inte-
„ grum fructum corni „ relatum eſt. Apud eundem (*b*) Parochus ab nucleo pruni deglutito cardialgia laboravit. Idem à nucleis ceraſorum ruſtico accidiſſe narrat WOLFFIUS (*c*). Ab oſſiculo porro cum braſſica deglutito intenſiſſimam cardialgiam ancilla RIEDLINI (*d*) eſt experta, uti et miles gregarius

(*a*) Lin. med. ann. 6. Octobr. 11. p. 1149.
(*b*) Vide §. 30. n. 1. a)
(*c*) Vide §. 34. n. 2.
(*d*) Vide §. 46.

SCATII apud A. BRAMBILLA (*a*), qui ubi carnem voraciter cum oſſe deglutiiſſet, primis inde diebus perſenſit vehementes ventriculi dolores pungentes lancinantesque cum anorexia, qui poſtmodo in ventrem deſcendentes evaſere enormes, dum æger alvum egerere volet. Væ So, et emollientia, anodynaque, ano et cato data mitigarunt dolorem, at non ſuſtulerunt. Demum dolor fixum dextra in nate inſedit locum, ubi paucis poſt diebus oborta inflammatio, intervalloque duorum pollicum ab ano deſinens, in abſceſſum abiit, ex quo aperto eductum eſt os prope duos pollices longum ac tres lineas latum: quo facto dolor paulo poſt conquievit, ulcereque intra 18. dies perſanaro, miles ſanus ad munia obeunda rediit.

e) *Metalla*, præſertim vulnerantia. Narrat T. BONETVS (*b*) è L. SCHOLTZIO „ ægrum „ quemdam intolerabiles dolores circa ventriculi regionem ad mortem usque paſſum „ eſſe. Poſtquam vero diem ſuum obiit, „ ac corpus apertum fuit, omnis generis „ inſtrumenta in ipſa ventriculi capacitate

(*a*) Chir. pract. Abhandl. von der Phlegmone 1. Th. 9. Cap. p. 191. ſq.

(*b*) l. c. Obſ. 40.

„ reperta fuiſſe „. Quæ hiſtoria, niſi commentum ſit, melius in delirium melancholicum, quam in dæmonis præſtigia, ut BONETUS vult, rejici, me judice, poteſt. Meliore fide digna eſt cardialgia à cultri cuſpide et acu deglutitis obſervata, quarum priorem L. HEISTERUS (*a*) in juvene 24. annorum enormiter ſævientem, poſteriorem autem præter HAGENDORNIUM (*b*) etiam A. BENIVENIUS (*c*) obſervavit.

2. *Frigida*, calente præſertim corpore aſſumpta, ut eſt aqua frigida, potus glacie refrigerati, linctus cum glacie parati. Sic ab aquæ frigidæ potu cardialgiam, præter SIMSII (*d*) TREWIIque (*e*) ægras etiam R. LENTILII (*f*) ſtercometra 28 annorum contraxit, qui „ cum intereſſet ſpectator co-
„ mœdiæ, magnum in hominum confluxu
„ æſtum paſſus, cum domi gelidæ potu lar-

(*a*) Medic. chirurg. u. anat. Wahrnehm. 2. B. n. 161.
(*b*) Vide §. 35. n. 1.
(*c*) Vide §. 30. n. 2. a)
(*d*) Vide §. 80.
(*e*) Vide §. 29. n. 1.
(*f*) Miſcell. med. pract. P. 1. p. 61.

„ giter hauſta compeſcuit quidem, ſequen-
„ te tamen cardialgia permoleſta:

℞. Rad. ari. *ppt.*
— irid. Flor. aa ʒj.
Chalyb. c. 🜍 *ppt.*
Raſ. ebor. aa ʒß.
Cinnamom.
Caryoph.
Sem. coriandr. *ppt.* aa ʒj.
Sacch. ʒij.
Ol. caryoph. gtt. ij. M. S. ʒß bis

„ inde horis medicis, applicato foris ſacculo ex fl. chamom. herb. abſinth. menth. ſem. carv. et bacc. junip. irroratis gtt. aliquot olei menthæ deſtill. His cum per dies aliquot uſus fuiſſet, convaluit „. Haud ſecius J. RHODII (*a*) „ juvenem gracilem, et in febre 3na à vomitionibus bilioſis extenuatum, cardialgia invaſit exquiſita à potu frigidæ, contractis orificii ventriculi nervis „. Ita etiam J. C. GLASERO (*b*) „ narravit . . . matrona, ſe ipſam, cum nuptiis aliquando intereſſet, atque ſaltationibus probe defatigata unicum ſaltim frigidum hauſtum biberet, mox per uni-

(*a*) Obſerv. medic. Cent. 2. Obſ. 71.
(*b*) Diſſ. de Chloroſi §. 21.

„ verſum corpus horrore perfuſam fuiſſe, „ cui deinde cardialgia, virium proſtratio, „ quin imo poſt unum vel alterum diem ma- „ xime maligna febris cum vibicibus ſumme „ ardentibus in toto corpore . . . ſuperve- „ nerunt, quibus adeo afflicta, ut non ſe- „ mel vitæ finem deſperabunda ſibi accerſere „ tentaret. Tandem ſummo vitæ cum pe- „ riculo vix evaſit „. Perinde H. F. TEICH-MEYERI (*a*) vir 40 annorum, cholerico-ſanguineus, hæmorhoidum fluxui, et ab aliquo tempore etiam ructibus acidis, anorexiæ, alvo ſolito ſæpius obſtructae, cephalalgiæ fixæ ac pertinaci cum preſſivo circa hypochondrium dextrum dolore, obnoxius, mane quodam è lecto egreſſus, corporeque ſudante aquam frigidam hauriens mox anxietates ac diſpnæam cum ſuffocationis metu atque tenſivo thoracis lævi dolore ſenſit. Quæ cum neque calido Theæ potui, neque ♄ri dicto antiſpaſmodico cederent, hauſto demum Ωu frumenti magis exacerbata ſunt; donec à Væ Se levamen, aliisque in et externis remediis priſtinam æger nactus eſt valetudinem.

(*a*) Diſſ. de ſpaſmo ventriculi (4. Jenæ 1743. Reſp. J. F. SCHERFFIO.)

3. *Flatulenta*, in primis facile fermenteſcentia, ut zithum, lac crudum, fructus horæi crudi, et his affinia. Enimvero HEISTERI (*a*), ac TREWII (*b*) juvenes à fructibus horæis, ab uvis ac lacticiniis ipſe RITTERUS (*c*), à cerafis virgo GRONERI (*d*), ac femina RIEDLINI (*e*), in cardialgiam inciderunt. J. A. GOERITZII (*f*) puella 12 annorum poſt affatim comeſta ante prandium ceraſa cardialgiam cum onorexia, languore, crebraque expalleſcentia, incurrit, ſtomachicis et carminativis poſtmodo depulſam. Ejusdem (*g*) mulier quadragenaria abſumpta veſperi integra lactucae patina, tenuique cereviſia ſuperpota, media nocte corripitur cardialgia cum aphonia; à qua uſu aquæ ſtomachico-carminativæ, potuque Theæ, liberata eſt. A cucumeribus aceto, pipere, ſaleque conditis immanem cardialgiam in Diacono 24 annorum in colicam abeuntem, cum nauſea

(*a*) Vide hiſtor. 4.
(*b*) Vide hiſtor. 8.
(*c*) Vide §. 63.
(*d*) Vide §. 34. n. 2.
(*e*) Vide §. 37. n. 2.
(*f*) Annal. Vratisl. Tent. 33. Julii Cl. 2. art. 3. §. 3. p. 40.
(*g*) BÜCNNER Miſcell. phyſ. med. math. A. 1727. Jun. Cl. 2. art. 4. p. 344.

et oris amarore J. N. BINNINGERUS (*a*) obſervavit. Porro apud AMATUM (*b*) adoleſcenſ 17 annorum epoto ad ℔ jv lacte ſemicoacto incidit in cardialgiam cum vomiturione; ſed cum vomere vellet, ſtrangulationem patiebatur: donec tamen vomitu ac enematibus convaluiſſet. A ſeri lactis etiam potu cardialgiam in femina 30 annorum vidit J. STORCH (*c*). Ab his autem ipſis interdum et ſodam enaſci videre eſt, ut adoleſcenti apud MARTEAU (*d*) à lacticiniis ac fructibus accidit, et à pyris braſſicaque feminæ STORCHII (*e*), ab uvis mulieri RIEDLINI (*f*).

4. *Acria*, nervos ventriculi vehementer afficientia ac laceſſentia, ac ſæpenumero etiam ſubſtantiæ ſtomachi labem conſciſcentia; cum primis

a) *Spirituoſi potus* fermentati, vt 🜄, vina, &c. Sic VOELKERI apud J. L. SCHMU-

(*a*) Obſ. et cur. medic. Cent. 3. Obſ. 40.
(*b*) Curat. medic. Cent. 6. cur. 56.
(*c*) l. c. Febr. Cl. 5. n. 5. p. 126.
(*d*) Vide §. 50.
(*e*) Vide §. 63.
(*f*) Vide §. 84.

CKERUM (*a*) miles 56 annorum, ſani robuſtique habitus, à nimio Ωus frumenti abuſu ac poſt male curatam gonorrhœam cæpit ſpaſmodicam cardialgiam experiri, remediis initio obſequentem; ſed pedetentim abiit appetentia, digeſtioque adeo elangueſcebat, ut quoties pluſculum comediſſet, illico vehementiſſimam cardialgiam cum ſpaſmis et anxietatibus pateretur, non niſi vomitu iterum ſolvendam. Cibis rejectis principio ſi horis aliquot in ſtomacho morati fuere, permiſtus erat mucus lentus viridis, provecto autem morbo referebant minutal vitellorum ovorum. Poſt aliquot inde menſes acceſſit alvi obſtructio, ita ut æger non niſi 3° vel 4° quoque die egereret, fecibus inter atroces inteſtini recti dolores prodeuntibus duris, globuloſis, quandoque nigri, plerumque tamen cinerei coloris, queiscum ſæpe magna muci albi vis egerebatur. His demum ſe junxit acerbus dextri hypochondrii dolor, inter equitandum plus etiam ſæviens, qui aliquanto poſt lævum quoque in hypochondrium uſque adeo deſæviebat, ut dum eidem

---

(*a*) Vermiſchte Chirurg. Schriften 2. Band 7. Abſchn. 31. Bemerk. p. 204. ſqq.

noctu æger incumberet, præ dolore et anxietate lectum deſerere et in cubili oberrare cogeretur, ſudoris frigidi guttis per faciem ruentibus, cum totius corporis frigore, aſphyxia, cordisque non niſi debili micatione. Morbo ab his in deterius ruente pulſus facti tardi, pleni, duri, corpusque univerſum extenuatum. Cumque Medicus omnia ſuppreſſis hæmorrhoidibus tribuens ad has curationem dirigeret, ac hirudines ano ſæpius applicaret, æger 58° ætatis anno obiit. In cadevere hepar ingens induratumque ventriculum è ſuo ſitu dimovit; hujus ½ pars inde ab æſophago duritiem cartilagineam obtinuit, reſidua parte ſana; in cyſtide pauca lentaque bilis reperta; pancreas omnesque meſenterii et inteſtinorum tenuium glandulæ perinde induratæ erant, poſterioresque majora piſa æquabant. Reliqua cum abdominis tum thoracis viſcera nil à ſanitate alienum oſtenderunt. Perinde J. BAADERI (*a*) „ vir 50 annorum a prima mox juventute „ ſtrenuus 🜈 ardentis helluo, vomitu, car- „ dialgia, ardore ventriculi et æſophagi, „ totiusque reliqui corporis calore nimio

(*a*) l. c. Obſervat. 28.

„ corripitur. Tum de diverſo dolore nunc „ lancinante, nunc pungente, nunc lacerante, diſtendente, premente, in regione hypochondrii dextri conqueritur. Poſt diverſi generis remedia maraſmo conſumptus „ ad priores abiit. Examinatum cadaver exhibuit ventriculum totum livido colore „ tinctum: eundem hunc colorem monſtravit illa ſima pars hepatis, quæ ventriculo „ incumbit, atque proxime adjacet. . . . „ Totam dextram abdominis regionem ab „ hepate uſque in pelvim meſenterium in „ mirum tumorem diſtentum occupavit. Tumor hic exterius gaudebat colore ex rubro liveſcente, intus vero flavo. Interior „ ejus ſubſtantia conſtitit ex meris globulis „ materiam ſteatomatoſam duriorem perfecte referentibus, quorum ſinguli in ſingulis ac propriis veſiculis continebantur, „ ope membranæ celluloſæ à ſe invicem diſtinctis „. Letalem ab eadem cauſa cardialgiam ex HOFFMANNO (*a*) jam ſuperius vidimus. Aſt permirum eſt, cardialgiam in hominibus crebro Ωus frumenti potui aſſvetis, ab ejusdem intermiſſione oriri, cujuſmo-

(*a*) Vide §. 17. n. 1.

di caſum refert J. C POHLIUS (*a*) de viro ad 7. annos nato, duroque vitae generi aſſveto, qui poſt 30 annorum militiam ad vitam ruralem redux ob nimium Ω^us frumenti uſum, cujus ſæpe plures menſuras per diem haurire poterat, multa incommoda tulit; poſteaque ob delicta in carcerem conjectus per 18 hebdomades ad mortem uſque continenter pene ægrotavit. Mox initio cuſtodiæ tanta afficiebatur cardialgia, ut nec rite commode cubare poſſet, curvusque et antrorſum inclinatus incederet; conceſſo autem hauſtu Ω^us frumenti continuo et corpus erigebat, et motus liberius exercebat. Præter aliquot panis fruſtula, queis contentus erat, cibos reliquos, ob languidam in ventriculo digeſtionem, faſtidiebat. Avenæ excorticatæ decoctum ei utiliſſimum fuit, conceſſo etiam interdum potu Coffée, a quo perinde ſtomachus recreabatur. Interea et in leves febris acceſſiones, et 14 dierum diarrhœam incidit, ob mutatam vivendi conſuetudinem. Diarrhœam excepit continua alvi obſtructio, licet illa nullis adſtringentibus, ſed ſalinis

(*a*) Progr. de calloſitate ventriculi ex potus ſpirituoſi abuſu p. 11. ſqq. 4. Lipſ. 1771. cum fig.

rheoque, datis conticuerit; donec poſtliminio reverſa vires admodum fregit. Tum vero Ωum frumenti abhorrens jam, collapſis viribus, ſumme anxius et languens tandem exſpiravit. In cadavere hernia primum conſpecta eſt ſcrotalis dextro e latere, cum hydrocele complicata. In cavo thoracis pulmo, præſertim dexter, adhærens et ſumme ſcirrhoſus erat; ſimilesque ſcirrhi in meſenterii etiam glandulis reperti ſunt. Ventriculi 6 pollices longi, 4½ poll. ampli, margo arcus majoris, quo omento nectitur, perinde ſcirrhoſus fuit, in quo etiam 3 glandulæ ſcirrhoſæ inventæ: haud ſecius arcus minor ſcirrhum induit. Duodeni flexura ſurſum poſtrorſumque iens calloſa apparuit, reliquum duodeni ſcirrhoſum. Veſicula fellis 4 pollices longa, 2 pollices fere ampla, collo craſſiore cum duodeno uniebatur. Contra ea vini, præſertim aciduli, uſus etſi in femina ADOLPHI (*a*) cardialgiam reſuſcitabat, ſodam tamen ut plurimum cauſare conſuevit, velut BREYNII (*b*) Equiti, DONAUERI (*c*) viro,

---

(*a*) Vide §. 74. n. 4.
(*b*) Vide §. 51. n. 1.
(*c*) Vide §. 46.

Nobilique VERZASCHAE (*a*), accidit, et v. RIEDLINI *b*) mulier perinde poſt protractas choreas ſitibunda hauſto vino Tirolenſi inſignem ſibi cauſavit ſodam Non nunquam autem ab hujusmodi potibus non ſoda modo ſed cardialgia quoque efficitur, id quod BAADERI paulo ante dictus vir, et LOTICHII (*c*) Colonellus, ſenſere.

b) *Salina*, *aromatica*, &c. titulo cibi, potus, medicamentive, aut veneni, aſſumpta, quæ interdum ſodam, ſæpius tamen cardialgiam, aliquando vero utrumque malum ſimul, accerſunt, præſertim ubi idioſyncraſia, majorve ſtomachi teneritudo præſto eſt. Sic ZACUTI (*d*) vir ex aromatum abuſu, STORCHII (*e*) alius ex eſu halecum, deſuperque ſumptis bis elix. propr. ℥iij, et RIEDLINI (*f*) gravida e potu Theæ, in ardorem ſtomachi inciderunt, et poſterioris (*g*) arthriticus ſumptis ab empyrico pilulis anti-

(*a*) Vide §. 72. n. 5.

(*b*) Curar. medic. millenar. n. 278.

(*c*) Vide §. 50.

(*d*) Vide §. 68.

(*e*) Vide §. 37. n. 2.

(*f*) Vide §. 49.

(*g*) Lin. med. ann. 1. Septemb. 29. p. 310. ſq.

podagricis poſt motam ſæpius alvum inſignem ſtomachi ardorem eſt expertus. Contra vero cardialgiam cauſavit potus Coffée monachæ POMMEI (*a*), potus ſpirituoſus aromaticus FORESTI (*b*) chirurgo, et aromatario (*c*) ejusdem vinum cum ℥ᵉ granor. paradiſi hauſtum. Apud M. ETTMÜLLERVM (*d*) aurifaber ſanus ſumptis in prandio fungis in butyro frixis noctu prehenſus eſt graviſſimo ſtomachi dolore, a ſpina dorſi ad ſternum excurrente, ac ſi pugione perforaretur, cum pulſu citra duritiem paulo celeriore et dyſpnœa ſuffocationem minitante. Perinde apud F. PLATERUM (*e*) Nobilis quidam poſt Sion Cratevæ cum Garo copioſe in cœna ſumptum nocte media in cardialgiam cum febre, ructibus, et ardore eſt prolapſus, quæ purgante cholagogo ſumpto intra triduum rurſus deſiit. Eandem HOYERI (*f*) feminæ largior olei ſuccini flavi doſis, et KOELICHE-

---

(*a*) Vide §. 44.

(*b*) Vide §. 37. n. 1.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Colleg. conſultator. caſ. 6. Opp. T. 2. P. 2. p. 137.

(*e*) Obſerv. medic. Lib. 2. p. 422.

(*f*) Vide §. 45.

NII (*a*) viro itidem doſis auctior balſami 🜍ris, attulit. E. GOCKELIUS (*b*) meminit Præfecti Dynaſtiæ, 30 annos nati, paſſioni hypochondriacæ, quam labe hæreditaria a patre, e tympanitide olim cum ictero nigro ſingultuque mortuo, acceperat, obnoxii, qui poſt ▽æ ſpleneticæ ab empyrico Paſtore obtentæ uſum in cardialgiam pluſquam ſemeſtrem incidit, ita ut a cibo potuve mox gravativus ſtomachi dolor oriretur cum ſenſu globuli intus gyrantis ac dein ad fauces uſque aſcendentis, perque os aqua ac pituita repletum eluctari volentis, qui ubi nixu deglutitionis in ventriculum iterum rediit, dolori finem fecit. Si quando autem dolor eſſet pungens, ſurſum is evectus utriusque maxillæ dentes molares cruciabat, brevi tamen evanidus. Calido autem aſſumpto juſculo potum ſtomachus facilius ferebat. Longe autem crebrius cardialgiam cathartica et emetica concitant, præſertim ſi ex acriorum ſint proſapia, id quod ab ejusmodi cathartico expertus eſt vir ſenatorius BARTHOLINI (*c*), et

(*a*) Vide §. 46.
(*b*) Conſ. et Obſ. medic. n. 16. p. 178. ſqq.
(*c*) Vide §. 46.

apud V. RIEDLINUM (*a*) „ pellio quidam ju-
„ venis, nullo quidem morbo laborans,
„ ut conſuetudini ſatisfaceret, ante aliquot
„ annos V^æ S^em inſtituit, cui tamen cum
„ purgans præmittendum eſſe ab aliis audi-
„ viſſet, ut ſumptibus parceret, pharmaco-
„ polam ſolum adit, huncque, ut tale ſug-
„ gerat medicamentum, rogat, qui et illico
„ ad ejusdem petitum, nec noſcens homi-
„ nem, nec in minimam circumſtantiam in-
„ quirens, purgans medicamentum parat,
„ alterque ſumit. At tanta ſubſequitur hy-
„ percatharſis, ut non ſolum medicamentis
„ ad illam inhibendam eodem adhuc die
„ opus habuerit, verum et ab illo tempore
„ (4 autem, et quod excurrit, interea anni
„ ſunt præterlapſi) dolore ventriculi grava-
„ tivo ſat moleſto laboret; cui licet unum
„ alterumve remedium oppoſuerit, illum ta-
„ men hactenus abigere non potuit „. Per-
inde H. MEIBOMII (*b*) „ juvenis . . . cum
„ a Medico appetitus excitandi cauſa Ω^um
„ ſalis per integram hebdomadem uſurpaſſet
„ nullo nocumento, et dein matutinis horis

(*a*) Lin. med. ann. 5. Julii 16. p. 722. ſqq..

(*b*) Diſſ. de lenior. medicamentor. eximio uſu §. 7. (*Reſp.* B. D. BEHRENS 4. Helmſt. 1692).

„ vomitorium ab empyrico accepiſſet, circa „ veſperam vero ejusdem conſilio ♒us ſalis „ conſuetam doſin aſſumpſiſſet, in horrendos ventriculi cruciatus, tota nocte vix „ ſopiendos, incidit, non alia ſine dubio „ de cauſa, quam quod ventriculus a vomitorio recenter deterſus acrem ſalis ♒nm, „ nulla antea noxa aſſumptum, pati non poſſet, et ab illo graviter afficeretur „. Idem etiam ab emetico HANNEMANNI (*a*) ſtudioſo accidit. Atque huc pertinent ungues raſi (draſticum emeticum), a queis e zitho potis cardialgiam natam refert GOCKELIUS (*b*). Haud ſecius F. HOFFMANNUS (*c*) „ meminit . . . feminæ, quæ poſt annum 50, „ quo ordinario menſium finis eſſe ſolet, „ propter congeſtionem ſanguinis circa venas et vaſa majora in lumbis, et ob urinam ſecedentem ſabuloſam, quæ exquiſite „ ſentientem ureterum ſubſtantiam arrodere „ et irritare ſolet, dolores preſſorios in ventriculi regione usque ad dorſum pertingentes cum nauſea et ſtimulo ad vomitum

(*a*) Vide §. 46.

(*b*) Vide §. 33. n. 2.

(*c*) Diſſ. de medicis morbor. cauſa §. 14. (Opp. ſuppl. 2. P. 1. p. 504.

„ ſubinde, præſertim noctu, patiebatur,
„ ſanguine nimium a ſitu in dorſo incale-
„ ſcente. Medicus hujus ſymptomatis cau-
„ ſam eſſe cenſebat cruditates in ſtomacho,
„ et ſuadebat MR[am], quæ gr. ij 🜿[ri] eme-
„ tici habebat; qua quidem vomuit multa
„ cruda et pituitoſa: ab eo vero tempore
„ id conſecutum eſt, ut graviſſimi cardialgi-
„ ci dolores ſive vehementes ſpaſmi præcor-
„ dialem regionem per intervalla et ſæpius
„ tenuerint, quotieſcunque vel dolor circa
„ renes ſuſcitaretur, et ſabuloſa urina ſece-
„ deret, vel cibus difficilioris ſolutionis aut
„ flatulentus aſſumeretur, vel femina levi-
„ ter ira commoveretur „. P. POTERIUS (*a*) quoque mulierem 40 annorum ab antimonio (emetico) in decennalem cardialgiam acerbam variis cum languoribus et extenuatione corporis incidiſſe refert; queis perperam tractatis hydrops demum ſe junxit: donec ab Auctore ope theriacæ metallorum (*b*) ſanata eſt. Ita etiam F. PLATERI (*c*) ſacerdos ob inordinatam diætam purgare ſe volens poſt aſſum-

---

(*a*) Obſ. et cur. Cent. 1. Cap. 32.
(*b*) Pharmacop. ſpagyr. Sect. 10.
(*c*) l. c.

ptum ex circumforanei conſilio helleborum ano catoque valide vacuatus, dolorem inde et ardorem ſtomachi colicamque patiebatur cum ſpaſmis convulſionum prænunciis, ac demum ictero: a quibus malis non niſi pluribus remediis eſt vindicatus. Præ primis autem in hypochondriacis irritabili ſtomacho præditis id genus medicamenta funeſtas cardialgias accerſere ſunt obſervata. Apud A: LORRI (*a*) literatus imbecillo ſtomacho conſulturus ſumpto ſub noctem ♄e carthartico in horrendam incidit cardialgiam cum colica. Secuta inde profuſiſſima cholera cum infandis doloribus. Abdomine poſtea introvulſo elatisque hypochondriis animi perturbatio apparuit in debilitatem abiens, vi percipiendi ac reminiſcendi adeo labefactata, ut ex hoc ſopore ſummis tantum clamoribus ac tumultu excitari potuerit. Oculi interea facti concavi, naſus acuminatus, corpusque ſumme emaciatum. His malis biennium toleratis tandem exhauſtis ſenſim viribus, æger totus pene ad transparentiam extenuatus et exſuccus, vix ulla vitæ, niſi dum ſpaſmi corpus

(*a*) Von der Melancholie 1 Band 1 Th. 6 Cap. p. 161. ſq.

concuterent, indicia præbens interiit. Tanto vero magis cardialgiam aſſumpta venena ob inſignem ſuam acrimoniam accerſunt, velut a venenatis paſtillis inductæ FORESTUS (*a*) meminit, ab aconito porrecto PLATERUS (*b*) conſcitam narrat. Sic etiam feminæ, teſte M. ALBERTI (*c*) „ ☿le ſecretum remedium inſtar „ panaceæ propinatum fuerat, quod vero loco promiſſi et ſperati effectus tales operationes præſtitit, ut neceſſitas poſtulaverit „ ejusmodi auxilia ordinare, quæ alias veneno ingeſto opponi debent et ſolent: inter illa vero pernicioſorum effectuum ſpecimina fuit etiam intenſiſſimus ventriculi „ ardor „. Aſt uberior horum notitia, nec non varia medendi ratio, ex hiſtoria venenorum petatur, oportet.

§. 19.

II. COLLUVIES *humorum pravorum* in ventriculo aut circa extimam ejus tunicam. Sic a lenta mucoſa ſaburra FORESTI (*d*)

(*a*) Vide §. 33. n. 2.

(*b*) Vide §. 30. n. 1. a).

(*c*) Diſſ. de ventriculi ardore §. 2. p. 12.

(*d*) Vide §. 37. n. 2.

puella et vidua apud PYE (*a*), a pituita vitrea CHUDENII (*b* femina, cardialgiam ſunt perpeſſæ; nec abs re huc M. A. WEIKARDI (*c*) feminam referre licebit, cujus halitus olebat, dentesque ſpiſſa flava vel fuſca amurca ſemper obſiti erant, a qua forte cum cibis deglutita cardialgia vehemens, cui non raro obnoxia fuit, ortum duxit. Ab acido ſtomachi in quadam femina a C. C. ENGEL (*d*) tractata, et in VICATII (*e*) opifice emerſit, a ſanguine in ventriculum confluente FANAROLI *f*) viro accidit; cui ſimilem quoque caſum T. MERMANNUS apud BONETUM (*g*) refert: „ Princeps quidam corpo„ re obeſo, ætateque annorum plus minus „ 54, nephriticis ac ventriculi doloribus „ diu multumque conflictatus, viribus jam „ debilitatis nigra dejiciebat per complures „ dies; ac tandem ſyncope oborta intra ½ „ horæ ſpatium exſpiravit. Secto corpore

(*a*) Vide §. 33. n. 3.
(*b*) Vide §. 76.
(*c*) Vermiſcht. medic. Schriften 3 St, p. 42.
(*d*) Specim med. 3. p. 75. ſqq.
(*e*) Vide §. 51. n. 2.
(*f*) Vide §. 33. n. 3.
(*g*) l. c. Sect. 7. Obſ. 15.

„ ventriculus ſanguine concreto ſemiplenus, „ et in cavo jecoris manifeſta continui ſolu- „ tio, venæque portæ diſruptio eſt reper- „ ta „. Cardialgiæ porro ab atra bile exemplum T. BONETUS (*a*) ſuppeditat. Omnium tamen frequentiſſime eandem biliosa colluvies producit, dum nempe bilis flava vel juſto copioſior vel acrior ſolito in ſtomachum influit, velut in binis AMATI (*b*) mulieribus, FABRI (*c*) virgine, PYEI (*d*) gravida, TILLINGII (*e*) vidua, WEITBRECHTI (*f*) ægro, et ZACUTI (*g*) fabro lignario, de quo id unum quæri poſſet, cur homo hic non prius, quam poſtremo vitæ biennio, malum hoc ſenſerit, licet ejusdem cauſa a nativitate ſemper præſto eſſet? Varia reponi poſſunt, nimirum vel quod ſtomachus minus antehac irritabilis fuerit, vel quod choledochus ductus initio anguſtior, lapſu temporum ſit ſenſim dilatatus, vel quod bilis

(*a*) Vide §. 37. n. 3.
(*b*) Vide §. 39. et 33. n. 3.
(*c*) Vide §. 33. n. 3.
(*d*) Ibidem n. 5.
(*e*) Vide §. 39.
(*f*) Vide §. 62.
(*g*) Vide §. 17. n. 4.

forte poſtremo biennio evaſerit acrior, qualis in AMATI (*a*) muliere fuit, vel denique quod biennio illo validior corporis motus plus bilis ad ventriculum determinarit. Poſterior hæcce conjectura non caret exemplis; etenim FORESTI (*b*) bilioſum fratrem cardialgia non alias, niſi poſt majorem corporis motum vel jejunium longius, a queis bilis in ſtomachum uberius affluit, vexare ſolebat. Accedit et SWIETENII (*c*) obſervatio, qui vidit „ aliquoties ſolam majorem copiam „ bonæ bilis in ventriculo fluctuantis . . . . „ nauſeam feciſſe, dum ad curandam topi- „ cam ventriculi debilitatem abdomen jejuno „ homini in lecto perfricandum juſſerat pan- „ nis laneis calidis accenſi ſuccini vapore „ penetratis. Cum enim rudius perfricare- „ tur, incepit nauſeare, vertiginoſus fieri, „ et ab omni cibo abhorrebat, donec poſt „ aliquot horas bilem evomeret, nec colore „ nec aliis ullis attributis a bile ſana diver- „ ſam. Dum poſtea cavebatur, ne inter „ fricandum illa abdominis regio premere-

(*a*) Vide §. 33. n. 3.
(*b*) Vide §. 84.
(*c*) Comment. ad BOERH aphoriſmor. §. 642.

„ tur, ubi fundus bilis cyſticæ infra hepatis „ limbum eminet, nihil mali percepit „. Numquid bili etiam uberiori et acriori tribuenda videtur ſoda epidemica ab A. GASSERO (*a*) obſervata? Sane F. PLATERUS (*b*) „ ventriculum a bile flava, ea ſede, qua „ veſicula bilis ventriculo ſuperſtrata illum „ attingit, tingi macula lata lutea, ad interiora illius quoque penetrante, commaculari, aliquoties obſervavit; illisque præſertim, quibus viventibus perpetui ventriculi ardores moleſti erant, hoc accidiſſe notavit „. Et V. COITERUS (*c*) juvenem ſecuit mulierem, quæ ex hepatis et cyſtidis obſtructione in 3nam notham, ex hac in colicam, et hinc in paralyſin artuum primum ſuperiorum, deinde inferiorum etiam, lapſa ſodam, anorexiam, ſitim, alvumque difficilem cum tenſione et gravitate ilii lævi, velut a plumbo ibi hærente, patiebatur, ſenſimque contabeſcens, ubi annum ita vixit, levantibus aliquatenus thermis, demum

(*a*) Obſ. med. 59. in G. H. VELSCHII ſylloge obſ. et cur.

(*b*) l. c. p. 418.

(*c*) Obſ. anat. chirurg. miſcell. p. m. 114.

delirio et epilepſia prehenſa obiit. In cadavere repertum jecur juſto majus et obſtructum, cujus cyſtis bile turgebat craſſa et nigra, ventriculusque extenſus plenus erat humore viridi. Cœcum, colonque ubi ſtomacho nectitur, flatu turgebant, inde colon ad finem usque in Rectum erat anguſtum craſſaque fece farctum. Encephali ventriculi omnes ſcatebant aqua tenui ac limpida, uti et ſpecus vertebralis. Cetera labe omni caruere. Haud infrequens etiam eſt cardialgia ab atra bile in melancholici temperamenti corporibus, cujus rei complura exempla inferius (*a*) videre eſt. Unicum hic exemplum ex A. C. LORRY (*b*) attuliſſe ſufficiet. Theologus ſtudiis acriter deditus, variisque animi ærumnis laceſſitus, nec a crebris ſibi jejuniis temperans, cum nihilo minus ſanus videretur, domum aliquando redux in via repente dolorifico ſtomachi ſpaſmo corripitur. Domi horrifico clamore ſublato, errabundis oculis, vacillanteque et inconſtanti animo, ac deſperabunda identidem mente, vix non ſibi violentas intulit manus. Fe-

(*a*) Vide §. 72. n. 4. obſervata GHERLII.
(*b*) l. c. 2 Th. 5 Cap. p. 425.

bris tamen abfuit. Morbo in multos pari vehementia dies durante, ubi dolores ab atrocitate remiſere, poſt horam denuo recrudeſcens ubi ¼ horæ ſæviit, unius denuo horæ inducias dabat, ſumma tamen ſuperſtite anxietate ſuſpirioſa. Elapſa vero hora in clamores novos voci ferinæ ſimiles, niſi quod aliquas ſyllabas articulate ulularet, ſolvebatur, ſe in NABUCHODONOSORIS ſtatum a DEO redactum clamitans. Color faciei erat ex atro luteus, oculi torvi, totum corpus luridum et macrum, geſticulationesque inſaniam arguebant; licet homo de multis apposite ac pro ingenio loqueretur. Somnus interea ſic ſatis bonus, urina ſanorum, alvus autem compactiſſimas glebas reddebat. Ab alimentis nulla ad ſenſum læſio. Primus hic morbi aſſultus ad omnia quæque remedia contumax, totos 15 menſes durans, tandem leni dyſenteria nigra ſolvebatur, ægro ſanitati reddito, qua biennium fruebatur; in oculis tamen ac vultu neſcio quid vel attoniti vel exterriti præ ſe ferens. Alter paroxyſmus haud repente ſed pedetentim ſubrepens ad priorem ſenſim vehementiam eſt eluctatus. Tertium quoque inſultum, ſed mitiorem, 75° ætatis anno, ſubito coortum

ſuſtinuit. Demum e peripneumonia fatis ceſſit.

§. 20.

III. INSECTA in ventriculo latentia, in primis vermes, a queis atrox ſæpe ſtomachi dolor naſcitur. Sic „ vocatus, inquit „ H. SAXONIA (*a*), ad puerum refertum „ vermibus, 11 annorum, cui pilulas exhi- „ bui; mane cum reverterer, erat mortuus. „ Curavi aperiri ventriculum: inveni 33 ver- „ mes, omnes dodrantales, omnes vivos, „ ori ventriculi adeo tenaciter adhærentes, „ ut vix avelli poſſent „. Licet autem nulla hic ſit cardialgiæ mentio, tamen vermium cardiæ adhæſio, morbus ab iis, et ventriculi unica luſtratio huncce doluiſſe evincunt; id quod T. BONETI (*b*) obſervatione inclareſcit: puer ſexennis morbillos ante menſem paſſus, ab inſolatione et vehementiore motu ſine febre incaluit: ſequitur cardialgia cum vomitu muci et quinque lumbricorum vivorum (quorum maximus rubebat) ſine leva-

(*a*) Prælect. pract. P. 2. C. 7. §. 4.
(*b*) l. c. Obſ. 14. §. 1.

mine doloris, et cum tanta anxietate ac jectigatione, ut puer jam transverſim jam oblique ſe locans vix momento unum in lecto teneret ſitum. Cum immoriger puer omnia præter aquæ potum, quo triduo ſe ſuſtentavit, reſpueret, ad quæſita vix reſpondens, 5ª morbi die extinctus eſt, ſine tuſſi, cum levi dyſpnœa, nec continua, pulſu per totum morbum admodum inæquali, modo elato, magno, modo parvo, interciſo, at febre pridie maxima. In cadavere pulmones, lævi præſertim, lividi, grumos atri ſanguinis per ſubſtantiam diffuſi continentes, quorum unus in medio viſcere circa dorſum ovo æqualis erat. Adfuit etiam ulcus pulmonum. Inteſtina tenuia bile undique ſuffuſa: in ventriculi cavo bini vermes adhuc magnitudine inæquales reperti, cardiaque maculam e rubro liveſcentem ungui digiti minoris æqualem exhibebat. Ab eadem cauſa cardialgiam ſuſtinuere bini ZACUTI (*a*) pueri, puellæ SCHULTZII (*b*) et HEISTERI (*c*), hujusque ancilla (*d*), ac duæ aliæ RIEDLINI (*e*), feminæ apud CHESNEAU (*f*) binæ, et quarum

(*a*) Vide §. 41. et 37. n. 4.
(*b*) Vide §. 40.
(*c*) Vide §. 41.
(*d*) Vide l. c. in §. 9. n. 4.
(*e*) Vide §. 41.
(*f*) Ibidem et §. 40.

meminerunt DODONAEUS (*a*), HELLWIG (*b*); ac STEGMANNUS (*c*), HAGENDORNII item puerpera (*d*) ac vidua (*e*), AMATI (*f*) æger, ruſtici BARTHOLINI (*g*) et LEDELII (*h*); faber lignarius BENIVENII (*i*), &c. Præter hos nobis familiares vermes, interdum alia quoque inſecta viva in ſtomachum delata dolores ejus cauſaſſe obſervata ſunt. Ita cardialgiam ab limace tulit BINNINGERI (*k*) cacochymicus, a piſce vivo BORELLI (*l*) matrona (ni caſus, ut probabile eſt, fabulam oleat), ab aquatica lacerta LINCKII (*m*) femina, a ſcarabæo puer PLATERI (*n*), ab hirudinibus RHODII (*o*) æger, et ZVINGERI (*p*) molitor, et procul dubio etiam HILDANI (*q*) caſus huc pertinent. His addendus HIPPOCRATIS (*r*) lugubris caſus: „ adoleſcens poſt multum meri potum quodam in

(*a*) Vide §. 37. n. 4.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Vide §. 41.
(*d*) Vide §. 30. n. 1. a)
(*e*) Ibidem.
(*f*) Vide §. 33. n. 4.
(*g*) Vide §. 30. n. 1. a)
(*h*) Vide §. 37. n. 4.
(*i*) Vide §. 33. n. 4.
(*k*) Vide §. 37. n. 4.
(*l*) Vide §. 33. n. 4.
(*m*) Vide §. 3 . n. 1. a)
(*n*) Ibidem.
(*o*) Vide §. 41.
(*p*) Vide §. 33. n. 4.
(*q*) Vide hiſtor. 6.
(*r*) Epidemior. L. 5. n. 85. p. m. 1160.

„ tentorio ſupinus dormiebat, cujus in os „ ſerpens Arges dictus ſubiit. Quod ſane „ cum ſenſiſſet, neque loqui poſſet, ſtride- „ re dentibus cœpit, et ſerpentem devora- „ vit, ſummoque dolore detentus velut „ ſtrangulatus, manus prætendebat, ſe ſe- „ que jactabat, et convulſione mortuus eſt „.

§. 21.

IV. CALCULI *ventriculi*, quorum multa apud Obſervatores exempla proſtant; ego, quæ huc faciunt, tantummodo adferam. Narrat J. BILGERUS apud G. HORSTIUM (*a*), Religioſum ad 7 annos per intervalla varie ægrotantem, ſæpiſſime de dolore ad cartilaginem enſiformem queſtum fuiſſe, ac ſi telum ibi infixum eſſet. In cadavere pulmones maculas nigras lividasque hic illic habuere, ex iisque diſſectis ſanguis fœtidus ſpumoſus manabat. In ſtomacho calculi 30 et amplius, variæ molis, ſubſtantiæ ac fundo illius pertinaciſſime adhærentes, reperti. In hepate et renibus hydatides aquam fuſcam continentes adfuere. W. HOEFERUS (*b*) interfuit

(*a*) Epiſt. et conſ. med. Lib. I. Sect. II. Epit. II.
(*b*) HERCUL. med. L. 3. C. I.

ſectioni mulieris diuturna continuaque cardialgia cum anorexia nauſea ac tumore exſtinctæ, cujus in ventriculo lapilli granorum pomi granati inſtar ſe ſe mutuo amplectentes tanta copia adfuère, ut binas manuum volas implerint. Perinde S. SCHULTZIUS (*a*) meminit nonagenarii, qui paucis ante mortem diebus acerbos ventriculi dolores patiebatur. A morte ventriculi in fundo calculus avellanam magnus eſt repertus. J. HESSUS (*b*) narrat in viduæ cardialgia diuturna, ad omnia rebelli, defunctæ ſtomacho 9 calculos fuiſſe inventos, craſſiſſimæ pituitæ immerſos, quorum 8 minores erant ovales, nonus vero et maximus fuit trigonus; univerſique ℥jvβ appendebant. Refert etiam CARDANUS (*c*), Patricio cuidam, cum poſt diuturnam cardialgiam aperiretur mortuus, in ſtomacho calculum ovo æqualem infuiſſe. Duos quoque alios eadem ægritudine enectos memorat (*d*), quorum perinde ventri-

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 3. obſ. 86.
(*b*) Apud J. SCHENCK Obſ. med. L. 3. P. 1. Obſ. 97.
(*c*) De Subtilitat. L. 2.
(*d*) L. 2. Tract. 5. contradict. 9.

culi lapidem ovo gallinæ æqualem occuluere. Sic et G. GARNERUS (*a*) meminit militis 52 annorum, qui in tam ſævam incidit cardialgiam, ut nihil vel eſculenti vel fluidi ſumere citra ſuffocationis metum poſſet: idcirco biennium fere ſolo vini potu vivens tandem interiit. Stomachus in cadavere fuit admodum parvus, contractus, rugoſus, externeque plicis refertus, cujus in cavo calculus ovum æquans latebat, aliquatenus aſper, cinereus, duriſſimusque, ponderis ℥jv. Haud abſimili modo J. LANZONUS (*b*) ſcrutatus eſt ventriculum mulieris 41 annorum, cardialgiam cum anorexia ac nauſea multos menſes paſſæ, quæ tandem poſt omnia in caſſum uſurpata, accedente febre continua, pene emaciata interiit. Calculi 10 variæ figuræ in cavo ſtomachi detecti ſunt, quorum major ℥j appendit. Hiſce feliciores fuere ægri DOBRZENSKYI (*c*), GEMMAE (*d*), ac GENTILIS (*e*), cardialgiam perinde ab ejuſmodi calculis perpeſſi.

(*a*) Apud J. SCHENCK l. c.
(*b*) Act. nat. cur. Vol. 1. Obſ. 64.
(*c*) Vide §. 30. n. 1. a)
(*d*) Ibidem b).
(*e*) Ibidem a).

§. 22.

V. PATHEMATA *animi*, ut ira, mœror, curæ, terror, metus, in iis, qui ſyſtema nervoſum habent mobilius, haud raro cardialgiam procreant, ſeu id conſenſui encephali cum ſtomacho, ſeu quod, motibus his animi bilis moveatur alterutrve, tribuendum ſit. sic F. PLATERI (*a*) matrona Patricia lactans ob caſum infantis ſui territa in graves articulorum dolores, rodentemque cardialgiam cum oris amaritie ac vomitu bilioſo; prolapſa eſt, ſequentibusque diebus frequenter animi deliquia eſt perpeſſa: nec prius convaluit, quam bilis emetico, iteratisque catharticis fuiſſet expurgata. Idem etiam a lapſu animique commotione SCHUSTERI (*b*) gravidæ accidit. Nec indignus eſt memoratu caſus, quem G. E. STAHLIUS (*c*) obſervatum refert, nempe binæ ſorores febre petechizante epidemica correptæ ſunt, alia 18 alia 15 annos nata. Priori datus ♁ emeti-

(*a*) l. c. p. m, 413. ſqq.
(*b*) Vide §. 30. n. 2. d).
(*c*) Diſſ. de teneris ægris §. 19. (Reſp. R. F. REHFELDT 4to Halæ 1708).

cus eam graviſſime exagitavit, ut per 5 dies viribus exhauſta jaceret. Veſpere diei 6^{ti} utrique præſcriptus ♁ e matre perl. præp. cum bezoard. min. et cinnab. ♁^{ii} in 3 doſibus, quarum a prima eodem veſpere ſumpta natu major, quod prioris ♁^{ris} emetici memoria ab iſthoc eadem metueret, illumque cum ingenti faſtidio et coacta ſumpſerit, cardialgiam cum immani vomendi conatu patiebatur, ſorore altera nil tale experta; ſed ubi vim imaginationis prior edocta doſim alteram animo ſedato cepiſſet, nil quidem inde mali ſenſit, verum ob fractas a binis jam emeſeos turbis vires nihilominus 9° morbi die eſt exſtincta. E mœrore animique ærumnis cardialgiam natam tulere P. R. VICATII matrona (*a*), RIEDLINI (*b*) aurifaber, et femina 50 annis major apud F. HOFFMANNUM (*c*), cujus cum mater tum matertera diuturna cum cardialgia ſunt conflictatæ; et quæ eandem e mœrore contraxit, crebrius poſtmodo, quoties vel frigus dorſo excepit, vel

(*a*) Delect. obſ. pract. ex diario clinico Obſ. 32. p. 125.
(*b*) Vide §. 38.
(*c*) Med. rat. ſyſt. P. 4. S. 2. C. 2. Obſ. 1.

ira terroreve commota eſt, repetentem. Inſultus typum æmulabantur febrilem; nam poſt præviam oſcitationem nares aures facieſque frigebant, dein ſtringebantur fauces, tum dorſum et artus invaſit frigus, inde dolor corripuit cardiam fixus, ardens, in dorſum excurrens, ſpatiumque thaleri non excedens, cum anxietate, inquietudine, pulſu debili contracto celeri, vomituritione, teneſmo, ac micturitione. Inde poſt 4. 6 ve horas ſuperiores primum, deinde inferiores partes recaluere cum madore, ac largus demum ſudor paroxyſmum ſolvebat. Ira tamen frequentius præ aliis animi affectibus cardialgiam progignit, a qua illam cum hectica letali J. KANOLDI (*a*) matrona, et præter alium HOFFMANNI (*b*) virum, ac hypochondriacum RIEDLINI (*c*) Sacerdotem, etiam H. LUDOLFFI (*d*) juvenis 21 annorum, potui colicæque obnoxius, poſt immoderatum ſimul potum, conſecutumque vomitum,

(*a*) Ad Annal. Vratisl. Suppl. I. art. 13. p. 131. ſqq.

(*b*) Vide §. 35. n. 4.

(*c*) Curar. medic. millenar. n. 113.

(*d*) Diſſ. de Cardialgia Reſp. A. C. BOETTICHER.

contraxit cum ſingultu inſueto, ſtrangulatione, dyſpnœa, et aphonia: quos eosdem inſultus poſtea ſæpius ab ante dicta cauſa experiebatur. Sodæ quoque a metu curisque ortæ exemplum in matrona dedit POMME (*a*).

§. 23.

VI. CONSENSUS *ſtomachi* cum aliis partibus affectis cardialgiam aut ſodam haud raro poſt ſe trahit. Sic BÄKER (*b*) mulieris meminit, per aliquot menſes compluribus hyſtericis inſultibus afflictæ, inque grave aſthma convulſivum prolapſæ, quod non niſi vehementi ventriculi ſpaſmo ſupervenienti cedebat. Quorſum in primis pertinent

1. *Graviditas.* P. HERMANNUS, narrante VON DER LAHR (*c*), curandam habebat mulierem, quæ concepiſſe ſe certo ſcivit, ut primum ſodam patiebatur. Malum hoc initio uſui lapidum 69 ac ♂lium ceſſit; aſt ultima vice totos 9 menſes graviſſime affligens remediis non potuit aboleri, donec partu

(*a*) Vide §. 43.
(*b*) Medical Tranſact. T. 1. p. 449.
(*c*) Diſſ. de ſterilitate.

gemellorum deſiiſſet. Huc etiam aliquatenus gravida RIEDLINI (*a*) referenda eſſe videtur. Utrum vero cardialgiæ a BINNINGERO (*b*) ac SCHUSTERO (*c*) in gravidis obſervatæ ipſi perinde utero imputandæ ſint, haud diſquiro.

2. *Calculi renum, cyſtidisque felleæ* non ſolum atrocem plerumque cardialgiam, ut in hiſtoria horum videre eſt; ſed gravem quoque interdum pyroſin excitant, eamque teſte RIEDLINO (*d*) ſubinde perquam ominoſam; quam tamen I. G. SOMMERI (*e*) literatus petroſelini herba, juſculo carnis ad certam copiam incocta, feliciter profligabat, ſimulque ſic renum ſabulum everrebat.

3. *Applicata* externa. Mirum eſt, quod memorat S. LEDELIUS (*f*) de viro 50 annorum, febrem putridam paſſo, qui admoto temporibus ad ſomnum conciliandum linteolo croci odore imbuto illico incidit in ardo-

(*a*) Vide §. 49.
(*b*) Vide §. 38.
(*c*) Vide §. 30. n. 2. d)
(*d*) Vide §. 28. n. 2.
(*e*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 3. obſ. 155.
(*f*) Ibidem dec. 2. ann. 4. obſ. 67.

rem ſtomachi, non ante remittentem, quam linteolo illo remoto.

4. *Vulnera* quarumdam partium conſenſu prorſus mirabili vel cardialgiam vel ſodam quandoque inducunt. P. FORESTI *(a)* Sacerdos lapſu e ſcala cubiti radium fregit. Octiduo poſt ſupervenit vehemens cardialgia, totum occupans pectus; quam catharticum ubi brevi imminuiſſet, litus nervinus reliquias ejusdem prorſus ſuſtulit. Apud R. LENTILIUM *(b)* vir 30 annorum, cum ante 3 annos ſpinam piſcis proxime dentes inciſivos ſuperiores infixiſſet, præter paucas ſanguinis elapſas guttas per ½ annum nil inde mali ſenſit. Poſtmodo vero incidit in frequentiorem ſodam, præſertim ſi pridie veſperi vel ſaccharo vel uberiori vino vel iræ indulſit, jejunum ſtomachum infeſtantem, atque ad ingeſta miteſcentem, quæ a cardia per œſophagum ad fauces usque et uvulam aliquatenus tumidam (atque ideo raucedinem aliquam cauſantem), maximumque ardorem ſentientem, inde in palatum quoque, ac ejus maxime locum a ſpina olim confi-

(a) l. c. Obſ. 26.
(b) Miſcell. med. pract. P. 2. p. 414. ſq.

xum, excurrit, ubi proximus etiam lateris dextri dens dolebat: a palato rurſum in nares usque extendebatur, et inter ſternutandum ad ipſos propagabatur oculos. Interdum vero inter ſcapulas quoque tenſio quædam percipiebatur. Remedia ſicca et calefacientia æger non ferebat, humectantia vero levamen procurabant. Ita etiam SOLENANDRI (*a*) „ Polonus, qui ex vulnere capi-„ tis mortuus eſt, ardorem maximum circa „ regionem oris ventriculi perpeſſus eſt. Se-„ cto corpore inventæ ſunt in ſuperficie ex-„ teriore oris ventriculi maculæ rubræ, ac ſi „ morſus formicarum eſſent „.

§. 24.

VII. METASTASES *ſani morboſive.* Proinde

1. *Hæmorrhoides*, *menſes*, *lochiave* imminuta aut ſuppreſſa, queis revocatis dolor plerumque conquieſcit. Sic „ mulier „ quinquagenaria, inquit R. LENTILIUS (*b*), „ a longiſſimo tempore menſes non amplius

(*a*) Conſil. 16. Sect. 5.

(*b*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 7. append. p. 120.

„ paſſa nos conſulebat, de cardialgia vix „ tolerabili cum ventris torminibus queſta, „ cui pauperculæ ſuaſimus levidenſe bacca- „ rum juniperi ſeminisque carvi elixandum „ cum fontis aqua decoctum, de quo cum „ vix per octiduum calide ad uncias circi- „ ter ſex bis in die bibiſſet, menſtrua de- „ nuo nil minus cogitanti . . . cum impetu „ quam copioſiſſime fluxerunt, ſanguinis con- „ grumati fruſtis majoribus olidiſſimo fœto- „ re comitatis una prodeuntibus. Ab eo „ tempore menſes ordinaria periodo nunc „ aliquoties rediere, ceſſantibus omnibus „ iſtis ſymptomatis, et muliere in vitam ſi- „ bi denuo quaſi reddita „. Ab hac eadem cauſa cardialgiam VICAT in matrona (*a*) ac plebeia (*b*), et in virgine WHYTT (*c*), ob- ſervatam referunt. Ab lochiis vero parcius procedentibus eandem RIEDLINI (*d*) mulier eſt perpeſſa; et ab impedita hæmorrhoidum eruptione illam HOFFMANNI (*e*) quadrage- narius eſt adeptus.

(*a*) Vide §. 30. n. 2. b).
(*b*) Vide §. 37. n. 5.
(*c*) Vide §. 53. n. 2.
(*d*) Vide §. 30. n. 1. e).
(*e*) Vide §. 74. n. 4.

2. *Scabies* retropulſa, cui binæ VETILLARTII (*a*) ægræ ſuam debebant cardialgiam.

3. *Tumores* citra criſin ſubſidentes. Ita a ſtruma diſparente cardialgiam in matrona ſecutam refert VICAT (*b*), et F. HOFFMANNUS (*c*) vidit bis „ parotidum tumores in „ ſexu muliebri non adeo exiguos externis „ quidem applicatis evanuiſſe, ſed brevi poſt „ cardialgiam cum anguſtia ſpirandi inſecu- „ tam fuiſſe „.

4. *Arthritica*, *rheumatica*, *podagrica* materia ad ſtomachum compulſa. Sic a F. HOFFMANNO (*d*) „ obſervatum eſt hemi- „ craniam et cardialgiam inter ſe alternaſſe, „ ita ut cardialgia ſublata hemicrania fuerit „ ſecuta, et poſtea hac ipſa diſcuſſa cardial- „ gia redierit „. Haud ſecius N. CHESNEAU (*e*) obſervavit hemicraniæ ſucceſſiſſe cardialgiam cum anorexia ac pallore in monacho, quam poſtea potus aquæ de Villa-

---

(*a*) Vide §. 29. n. 2, et §. 30 n. 2. b).
(*b*) Vide hiſtor. 10.
(*c*) Med. rat. ſyſt. l. c. theſ. pathol. §. 21.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Obſerv. medic. L. 3. C. 1. Obſ 4.

ranque ſuſtulit. Perinde femina HOLDEFRIINDII (*a*) e metaſtaſi rheumatica in cardialgiam incidit. Multo autem id crebrius ab arthritide aut podagra retropulſis uſuvenit. Sic meminit J. HOLLERIUS (*b*) podagrici, qui malo ad ſtomachum converſo non niſi operoſa medicatione a gravi illius ac tendente dolore eſt liberatus. Idem accidit RIEDLINI (*c*) viduæ, WOLFFIIque (*d*) ſeni. Plura huc facientia ex ipſa arthritidis ac podagræ hiſtoria ſunt petenda, uti et peculiaris tum ejuſmodi cardialgiæ medendi methodus.

§. 25.

VIII. FEBRES, cum continuæ, tum intermittentes haud raro ſodam aut cardialgiam ſibi vel adſciſcunt, vel poſt ſe relinquunt. Et quidem

1. *Continuæ* plerumque exanthematicæ id conciliant, idque vel ante exanthematis eruptionem vel in ejusdem declinatione et diſceſſu: hic ob imperfectam criſin materiæ

(*a*) Vide §. 30 n. 2. d).

(*b*) Obſervat. et Conſ. n. 12.

(*c*) Vide §. 37. n. 5.

(*d*) Ibidem.

relictæ, ibi ob turbas illius quærentis exitum. Sic VOGELII (*a*) opifex in declinatione purpuræ in cardialgiam, et RIEDLINI (*b*) ancilla poſt exanthematicam febrim in ſodam, incidit.

2. *Intermittentes* autem pluribus modis hanc ægritudinem inducere obſervantur, nimirum

a) *Metaſtaſi*, dum perperam tractatæ ſupprimuntur, velut accidit CHUDENII (*c*) feminæ, ſacerdoti GOERITZII (*d*), gravidæque HOFFMANNI (*e*), et feminæ conſiſtentis ætatis apud R. LENTILIUM (*f*), quæ poſt æſtivam 5 hebdomadarum febrem anomalam ſuperatam, dum juſto maturius loturæ linteaminum vacans artus aquæ frigidæ immerſiſſet, paulo poſt initio Octobris in quartanam incidit cum variis anomaliis. Cumque hanc etiam inſperſo calceis ſale veſco, comeſtaque affatim braſſica capitata cruda,

(*a*) Vide §. 46.
(*b*) Vide §. 37. n. 3.
(*c*) Vide §. 76.
(*d*) Vide §. 39.
(*e*) Vide §. 30. n. 3.
(*f*) Eteodr. med. pract. Octobr. 3. p. 1071.

minutim conciſa, atque pipere oleo acetoque condita, fugaſſet; ſucceſſit cardialgia gravis cum dyſpnœa moleſta, ſummaque virium debilitate, quæ etſi nervinis in et externis ceſſit, femina tamen aliquamdiu adhuc aliud ex alio incommodum habuit perferendum.

b) *Paroxyſmi* tempore. Iſthoc autem triplici intermittentium generi eſt ſolenne, videlicet bilioſis, in queis bilis acerrima in acceſſione ſtomachum laceſſit, porro intermittentibus dictis nervoſis, iisque vel non malignis vel malignis, quæ cum pernicioſa cardialgia junctæ ſunt, ac denique febribus larvatis. Ad primam earum claſſem pertinet AMATI (*a*) monachus; ad alteram vero hyſterica R. LENTILII (*b*) quotidianam intermittentem veſpertinam cum torminibus, cardialgia, vomituque paſſa, et POTERII (*c*) nobilis 35 annorum, qui a fulmine incendioque exterritus in duplicem 3^nam^ incidit cum hemicrania aliisque graviſſimis ſymptomatibus: exacerbationis tempo-

(*a*) Vide hiſtor. 1.

(*b*) Eteodr. med. pract. Aug. 30. p. 821.

(*c*) Inſign. curat. et ſingul. obſerv. Cent. 1. Cap. 43.

re circa ſtomachum tam immanes tamque celeres dolores patiebatur, ut veluti fulmine ictus brevi exſpiraturus videretur. At data ▽æ cinnamomi ℥j et febrim et cardialgiam præſentem ſuſtulit e veſtigio; ſuperſtitem vero hemicraniam rebellem tandem fugavit decoctum e raſura lign. viſci querc. rad. chinæ aa ℥j, ſarſap. ℥jβ. fol. betonic. cicerbit. cichor. borrag. acetoſ. aa M. j, ſem. pœon. dauci aa ℥j cum jure vitulino paratum. Huc etiam pertinent omnes malignæ cardiacæ ſeu cardialgicæ dictæ, quæ cum peculiarem doctrinam ſibi expoſcant, apud F. TORTI (*a*) videndæ erunt; ad tertiam denique pertinentia exempla dare perutile futurum eſt; modo prius notetur, haud omnem cardialgiam periodicam, cujus plures caſus in ſuperioribus in medium allati ſunt (*b*), eſſe continuo pro febre larvata habendam. Sic hujusne loci ſit cardialgia quotidie reverſa, quam C. MEDICUS (*c*) percuravit, e caſus brevitate erui non ſatis poteſt At T. BARTHOLINUS (*d*) „ vidit . . . 1654 periodi-

(*a*) Therap. ſpecial.
(*b*) Vide § 6. c) 1. 2. 3. 4. 5.
(*c*) Geſchichte period. Krankh. §. 39. p. 122.
(*d*) Hiſtor. anat. rar. Cent. 3. hiſt. 50.

„ cos ventriculi dolores in quam plurimis,
„ qui ſine febre alternis diebus recurre-
„ bant. Notavit idem in filiola (ſua), quæ
„ alternis noctibus inquieta de ventriculo
„ conquerebatur, quem ſoluta alvus vel lo-
„ tium mitigabat, nullo calore p. n. præ-
„ ſente. Poſt febrem in aliis ſimilia obſer-
„ vavit, per vices ſolitis paroxyſmi diebus,
„ ſolitaque febris hora redeunte dolore et
„ nauſea, nullo amplius febrili calore infe-
„ ſtante, quos abſtergentibus medicinis, ju-
„ ſculis citratis et acetoſis perſanavit „.
Perinde A. Q. RIVINI (*a*) „ femina . . . ad
„ modum 3^{næ} alternis diebus hora pomeri-
„ diana 4^{a} inſignes cardialgias cum crebrio-
„ ri vomitu bilioſæ ac tenacis materiæ pa-
„ tiebatur, atque hic paroxyſmus ad no-
„ ctem uſque perdurabat, abſque omni ta-
„ men vel frigoris vel æſtus nota, viresque
„ dejiciebat cum appetitu, ut vix intercala-
„ ri die lectum deſerere potuerit ægra. Poſt
„ uſum convenientium remediorum vomitus
„ primum, et tandem anxietas præcordio-
„ rum, ceſſavit in totum paroxyſmo forte
„ 7°. Elapſo deinceps octiduo cum in fo-

(*a*) Diſſ. de febrib. intermittent. §. 11.

„ rum egreſſa braſſicam muriaticam aſſumeret „ jejuna, accidit, ut ad horam uſque po- „ meridianam 4am ſtomachus doleret, tum- „ que cum vomitu 3na inchoaretur perfecta, „ frigore non minus quam æſtu ſatis mole- „ ſta per 3 fere ſeptimanas „. Ita et J. C. RUEFF *(a)* binas cardialgias periodicas, quarum una 3na fuit, obſervavit. Graviſſimam autem, ac demum letalem, cardialgiam, e 3na quotidianam factam, vidit C. RAYGER *(b)*, qui poſtea etiam duplicatam quotidianam ab ſe viſam refert *(c)*, nempe „ vir quidam „ cholerico melancholicus quotidie hora 1a „ pomeridiana, et hora eadem poſt mediam „ noctem, terribili corripiebatur cardial- „ gia, ut totum pectus ſibi ardere credide- „ rit; poſt ½ horam iterum ceſſavit ingens „ dolor „.

(*a*) Vide §. 71.

(*b*) Vide §. 29. n. 2.

(*c*) Schol. ad P. SPINDLERI Obſ. med. 22.

CAPVT V.

DIAGNOSIS.

§. 26.

DIAGNOSIS *cardialgiæ* cum ſæpenumero ſit planiſſima, haud raro tamen ſuis laborat difficultatibus, idque cum ob cauſam, tum etiam ob dolores vicinarum ſtomacho partium, pro cardialgia facile habendos; quippe quos interdum colica, hepatitis, dolentia pancreatis ulcera cancroſa, &c. creant. Sic refert CAMERARIUS apud J. SCHENCKIUM (*a*), doluiſſe quempiam circa ſtomachum; Medicos cardialgiam eſſe ratos fruſtra remedia quæque adhibuiſſe: donec alvo forti enemate mota dolor ſopitus docuit, ſedem ſuam in colo ſtomacho contiguo fuiſſe. Multi quidem e loco doloris cardialgiam ab aliis ventris doloribus diſtingui poſſe exiſtimarunt, ita ut dolor in ſcrobiculo perceptus ad ventriculum pertineret; non item, ſi alio loco ſentiretur. At recte contra hoc T. WIL-

(*a*) l. c. Obſ. 100.

RICH (*a*) „ non dicam quidem ego (ait) „ cum VESLINGIO hos dolores orificio ſini- „ ſtro fruſtra imputari, hoc tamen cum Cl. „ D. Præſide aſſero, non ſolum orificium ſi- „ niſtrum affectum, ſed dextrum quoque, et „ quodammodo totum ventriculum parere „ nobis illos dolores poſſe, qui in fovea „ cordis percipiuntur, et *καρδίης πόνοι* vocan- „ tur. Unde etiam contingit, ut non ita „ præciſe ſemper ſub fovea cordis maneat „ dolor ille, ſed quam maxime quidem ibi, „ aliquando vero ad dorſum magis, inter- „ dum etiam ad ſiniſtrum hypochondrium „ vergat. Imo obſervavit nuper Cl. D. Præ- „ ſes in cardialgia flatulenta dolorem, qui „ aliquamdiu in ſcrobiculo cordis fuerat, „ aſcendiſſe deinde (ſine dubio in œſopha- „ go), et ad palmi ſupra ſcrobiculum lati- „ tudinem longe majores dolores excitaſſe, „ quam antea in ipſo ſcrobiculo „ (*b*). Difficillima tamen fere eſt cognitio cauſarum proegumenarum, excepta idioſyncraſia, labe hæreditaria, et hypochondriaca hyſteri-

(*a*) Diſſ. de cardialgia §. 12. (Præſ. II. MEI- BOM. 4. Helmſt. 1679.

(*b*) Confer. §. 6. b)

caque affectione; iſta namque cum e ceteris ſuis notis facile detegatur, tum plerumque etiam ſæviente cardialgia motus velut globi, quem hyſtericum nuncupamus, e ventriculo in fauces aſcendentis, rurſumque ad ſtomachum redeuntis percipitur, velut in hypochondriaco GOCKELII (*a*) Præfecto obtinuit. Ut itaque diagnoſis rite inſtituatur, omnia ſedulo ſunt expendenda, ſexus, ætas, ſex res non naturales, doloris viciſſitudines, reverſionum tempora, &c. Porro titulo ingeſtorum, utrum ab hiſce morbus ortum duxerit, anamneſis ad remotiora etiam retro tempora eſt proferenda; ſiquidem interdum dyſpepta quædam per annos etiam in ſtomacho, ob cujus debilitatem expelli non poterant, deliteſcentia, et quorum ne memoria quidem ægris ſuperſit, morbum foveant, quemadmodum in caſibus matronæ HILDANI (*b*), PAULLINI (*c*) puellæ, RIEDLINI mercatoris (*d*) ac monachi (*e*), nec non ruſtici apud

---

(*a*) Vide §. 18. n. 4. b)
(*b*) Vide §. 32.
(*c*) Vide §. 18. n. 1. a)
(*d*) Vide §. 33. n. 1.
(*e*) Vide §. 32.

WOLFFIUM (*a*), liquido videre eſt. Solerter itaque monendi ægri, ut reminiſci ſatagant, quænam ante inchoatum malum aſſumpſerint, nucleoſne, an terreſtria, &c. deglutierint? Sodæ vero diagnoſis eſt perfacilis.

(*a*) Vide §. 34. n. 2.

CAPUT VI.

PROGNOSIS.

§. 27.

I. DIUTURNITAS morbi hujus eſt prorſus varia, prout acutus chronicuſve, aut a cauſa ſublatu faciliore vel contra, fuerit, uti et dum aut negligitur aut perperam tractatur. Varietatem hanc abunde exhibent caſus a me huc collati. Sic triduum ſæviit cardialgia in ancilla HEISTERI (*a*), quam interemit; 14 dierum erat in RIEDLINI (*b*) mercatore, 15 dierum in matrona FABRI (*c*). Tres hebdomades duravit in BARTHOLINI (*d*) viro ac RIEDLINI (*e*) ancilla, aliquot hebdomades detinuit RUEFFII (*f*) mulierem. Menſem attigit in HAGENDORNII (*g*) muliere, 40 dies in muliere AMATI (*h*). PEZOLDI (*i*) ancillæ 12 hebdomadis moleſta fuit.

(*a*) Vide l. c. in §. 9 n. 4.
(*b*) Vide §. 33 n. 1.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Vide §. 46.
(*e*) Vide §. 41.
(*f*) Vide §. 71.
(*g*) Vide §. 18. n. 1. c).
(*h*) Vide §. 33 n. 3.
(*i*) Ibidem n. 1.

Aliquot menſibus afflixit mulierem LANZONII (*a*), POTERIIque (*b*) monachum; ſemeſtremque perpeſſi ſunt Religioſus apud CHESNEAU (*c*), SAUVAGESII (*d*) ſacerdos, VICATII (*e*) matrona, ac ZANETTII (*f*) monialis; ultra ſemeſtre detinuit GOCKELII (*g*) Præfectum, et 28 ſeptimanis CHUDENII (*h*) feminam vexavit. Annua evaſit in HOFFMANNI (*i*) cive, LENTILII (*k*) vitriario, POZZII (*l*) Colonello, ac literato SCHACHERI (*m*); RIEDLINI (*n*) monacho ultra annum duravit, et femina HOLDEFREINDII (*o*) $\frac{5}{4}$ anni eam tulit. Biennalem experti ſunt fabri lignarii BENIVENII (*p*) ac ZACUTI (*q*), BALLONII (*r*) vir, miles GARNERI (*s*), parochusque RIEDLINI (*t*), femi-

(*a*) Vide §. 21.
(*b*) Vide §. 57.
(*c*) Vide §. 39.
(*d*) Vide §. 44.
(*e*) Vide §. 30 n. 2. b)
(*f*) Vide §. 48.
(*g*) Vide §. 18. n. 4. b).
(*h*) Vide §. 76.
(*i*) Vide §. 17 n. 1.
(*k*) Vide §. 47.
(*l*) Vide §. 15.
(*m*) Vide §. 39.
(*n*) Vide §. 32.
(*o*) Vide §. 30 n. 2 d).
(*p*) Vide §. 33 n. 4.
(*q*) Vide §. 17 n. 4.
(*r*) Vide §. 16.
(*s*) Vide §. 21.
(*t*) Vide §. 30 n. 1 a).

na ADOLPHI (*a*), virgo GRONERI (*b*), ac matrona HILDANI (*c*), triennalis evaſit BINNINGERI (*d*) cachectico, viris KLAUNIGII (*e*) et WOLFFII (*f*), hujusque ruſtico (*g*); trienniumque exceſſit in puella PAULLINI (*h*). Annis 4 virum MARTII (*i*), amplius etiam pellionem RIEDLINI (*k*) exercuit, 5 annis eidem obnoxia fuit HOFFMANNI (*l*) femina, ſexannis mulier apud PYE (*m*), circiter 7 annis BILGERI (*n*) Religioſus, 8 annis VICATII (*o*) opifex, 10 annis GILLERI (*p*) viarum præfectus, POTERII (*q*) vir, et 10 vel 12 annis femina apud HARSU (*r*); 14 annis JOERDENSII (*s*) vir 48 annorum, a 10 annis podagricus, cardialgiæ graviſſimos aliquot ſemper horarum inſultus, multos in dies durantes, atque ante

(*a*) Vide §. 74 n. 4.
(*b*) Vide §. 34 n. 2.
(*c*) Vide §. 32.
(*d*) Vide §. 37 n. 4.
(*e*) Vide §. 65.
(*f*) Vide §. 30. n. 1. a)
(*g*) Vide §. 34 n. 2.
(*h*) Vide §. 18. n. 1 a).
(*i*) Vide §. 39.
(*k*) Vide §. 18 n. 4. b).
(*l*) Vide §. 22.
(*m*) Vide §. 33 n. 3.
(*n*) Vide §. 21.
(*o*) Vide §. 51 n. 2.
(*p*) Vide §. 17 n. 1.
(*q*) Vide §. 38.
(*r*) Vide §. 78 n. 6.
(*s*) Commerc. Nor. T. 4 A. 1734. hebd. 5. n. 1 p. 33.

vel poſt podagræ paroxyſmos, vel vere aut autumno, ingruentes, perpetiebatur, qui vel ſponte vel flatibus ano catove expulſis, alias vero nec his nec acidiſſimo vomitu, finiebatur, quosque plurima et efficaciſſima remedia hactenus lenire tantum, non vero præpedire, potuerunt. Eundem porro morbum 18 annis vir HORSTII (*a*), 20 prope annis BERGERI (*b*) virgo, tricenisque annis GOERITZII (*c*) vetula, aliquot annis Helvetus BONETI (*d*), femina RIEDLINI (*e*), ac SPINDLERI (*f*) monialis, multis denique annis POTERII (*g*) vir tulit, quam etiam a pueritia MARESCOTTUS (*h*) patiebatur. Nec ſoda minus eſt diuturna, ut quæ LENTILII (*i*) viro annum, aliquot annos viris DONAUERI (*k*) ac RIEDLINI (*l*), multosque annos viro MARXII (*m*), incommoda fuerit.

(*a*) Vide §. 79.
(*b*) Vide §. 17 n. 2.
(*c*) Vide §. 30 n. 1. e).
(*d*) Vide §. 37 n. 3.
(*e*) Vide §. 50.
(*f*) Vide §. 53 n. 2.
(*g*) Vide §. 38.
(*h*) Vide §. 56.
(*i*) Vide §. 23. n. 4.
(*k*) Vide §. 46.
(*l*) Vide §. 84.
(*m*) Vide §. 69.

§. 28.

II. PERNICIOSA eſt cum cardialgia tum ſoda quibusdam in caſibus, et quidem

1. *Cardialgia* a ſcirrhis, cancris (*a*), &c. nec non in continuis febribus acutis, aut intermittentibus malignis. Unde HIPPOCRATES (*b*) „ in febribus acutis (ait) „ convulſiones, et circa viſcera dolores ve- „ hementes, malum „. Sæpe etiam cardialgia ex ignotis cauſis eſt letalis „ id quod in „ femina obſervavit G. DETHARDING (*c*), „ quæ flore ætatis ferox erat. Hæc ſubito „ corripiebatur doloribus ſub ſcrobiculo cor- „ dis moleſtis, ex eo loco in oppoſitam „ dorſi partem excurrentibus, quos topicis „ undique adhibitis ſedare primum, ſed fru- „ ſtra, tentabat, felicius interne propinatis „ paregoricis, queis, cum lotium pultaceum „ et chyloſum obſervaret, ſtomachica blan- „ da addidit, levamen et ſolamen afferens: „ pacata mox videbantur omnia, illa foras „ prodire, et officiis ſuis præeſſe; quando „ triduo elapſo menſæ accumbens ſubito

(*a*) Vide §. 17 n. 5.
(*b*) Sect. 4. aphor. 65.
(*c*) Miſc. nat. cur. Cent. 1 et 2. append. p. 185.

„ iterum graviſſimis illis doloribus correpta, „ ſanguine ex naribus prorumpente, proſternebatur, et exanimis concidebat, nec „ generoſiſſimis adhibitis remediis ex orco „ revocanda „.

2. *Soda* porro in calculoſis haud mitioris eſt præſagii, ut quam aliquoties letalem eventum portendere obſervarit v. RIEDLINUS (*a*): „ primo quidem illum (ardo„ rem) notavit in viro quodam jam diu ne„ phritico, et ſæpius plures calculos excer„ nente; hic cum ſubito urinam crudam „ aqueam, et ſalibus ac arenulis orbatam, „ excernere cœpiſſet, inde in tantum ven„ triculi ardorem incidit, ut vix triduo ela„ pſo convulſionibus ſupervenientibus inde „ vitam amiſerit, alias vir ſanus et optimæ „ conſtitutionis, vixque quinquagenario ma„ jor. Deinde notatu dignus fuit hic ardor „ in aurifabro quodam, qui itidem ſæpe do„ loribus nephriticis tortus, tandem illis „ ceſſantibus in ardorem ventriculi nulli „ omnino remedio cedentem incidit, et poſt„ ea, hoc quidem aliquantum mitigato, „ urina tamen ſemper cruda remanente, dif-

(*a*) Lin. medic. ann. 3. Jan. 16. p. 35. ſqq.

„ ficili reſpiratione accedente, vivorum nu-
„ mero ſubtractus fuit. Hinc vero maximus
„ fuit cujusdam. . . metus, cum jam plu-
„ res calculos, et quidem haud ita parvos,
„ ex renibus in veſicam delatos excreviſſet,
„ nec ſine ſummo dolore, cum ultima vice
„ loco dolorum conſuetorum et ardor ven-
„ triculi et difficilis reſpiratio eum invaſiſ-
„ ſent, nec ullum ferme ad illum erigen-
„ dum ſufficiebat ſolatium, quod tamen
„ haud parvum urinæ color non mutatus
„ ſuggerebat; donec tandem calculo iterum
„ ſat magno excreto, paulo ante redeuntibus
„ doloribus conſuetis, et jam jam narrata ſym-
„ ptomata. . ceſſarunt „. Soda itaque cum lotio aquoſo contentis vacuo in nephriticis admodum eſt ominoſa.

§. 29.

III. EFFECTUS *cardialgiæ* diuturnæ aut vehementis varii ſunt, et quandoque delete-rii etiam. Nempe

1. *Icterus*, isque aut ſymptomaticus aut criticus; de iſto alibi (*a*) recurret agendi lo-

---

(*a*) Vide §. 30 n. 2, d).

cus, quippe qui ſolutionem doloris conſequitur: prior vero ſævienti dolori, ſine ejusdem levamine, ſe jungere conſuevit, velut in ſacerdote PLATERI (*a*), et in caſu ab O. BORRICHIO (*b*) literis prodito, nempe „ S.
„ F. quinquagenario proximus ex ſcorbuto
„ mœrori animi permiſto febribus vagis ali-
„ quamdiu tortus appetitum tandem penitus
„ ſenſit proſtratum, et dolores ſtomachi,
„ vicinarumque partium, intenſiſſimos. Ad-
„ vocati Medici alii atque alii . . . præſcri-
„ bunt emetica, cathartica, ſtomachica,
„ chalybeata, varia, omnia in caſſum; quip-
„ pe invaleſcebat quotidie malum, ſtoma-
„ chus rejiciebat ingeſta omnia, quantacun-
„ que ſollicitudine vel compoſita vel præpa-
„ rata, adeo ut excoriationem ventriculi
„ in cauſa eſſe ſuſpicarentur tandem meden-
„ tes. Igitur cum ſine fructu aliquoties de-
„ coctum chinæ hauſiſſet, curam lactis pro-
„ ponunt. Ille ſequi facilis, lac omne, ſimul ac
„ ſorbuit, ſimul rejecit, et rejecit non purum,
„ ſed in caſei ſpiſſitudinem coactum. Tan-
„ dem victus malo fatis conceſſit, poſtquam

(*a*) Vide §. 18. n. 4. b).
(*b*) Act. med. et phil. Hafnienſ. Vol. 4. Obſ. 36.

„ rogaſſet adſtantes, ut a morte in cadave-
„ re ſuo inquirerent, quid demum illud
„ eſſet, unde tam diri cruciatus proficiſce-
„ rentur. In eviſcerato . . . . tota interior
„ ventriculi facies rubicunda, et tantum non
„ excoriata: hepar ingens, duriſſimum, et
„ qua hæſit veſicula fellis, nigricans: in
„ cyſti fellea fruſtum oblongum coagulatæ
„ bilis et durinſculæ, ac, ſi diutius vixiſſet,
„ in calculos haud dubie ituræ, pars autem
„ illa bilis, quæ fluida adhuc, omnia vicina
„ colore flavo tinxerat, qui jam et faciem
„ et corpus totum paulo ante mortem cor-
„ ripuerat: lien grandis, durus; vaſa ſan-
„ guinea ab eo ſparſa in exteriorem ventri-
„ culi tunicam omnia tumida, ſed nulla (ut
„ nec vas breve) in cavum ventriculi pene-
„ trantia. In meſenterio non procul a pan-
„ create cavitas notabilis liquore ſeroſo diſ-
„ tenta; unde haud dubie acidum illud
„ emanavit, quod tantopere ſtomacho ini-
„ micum erat, et proxima, quantum liquet,
„ mortis cauſa. Pulmo locis pluribus coſtis
„ adnatus, et hinc inde putredini quam pro-
„ ximus „. Felicior iſthoc fuerat c. i. TRE-
WII (*a*) mulier 28 annorum, quam verno

(*a*) Commer. Nor. T. 9. A. 1739. hebd. 39. p. 305.

tempore a frigidæ potu ſæviſſima corripuit cardialgia, brevi eam ſecuto univerſi corporis ictero, cum urina fuſca pallidoque ſtercore, citra febrim. Dolorem continuum cum datæ quavis hora gtt. 15 e camphoræ gr. 12 in olei amygd. rec. ℥jß ſolutis cum jure calido non levarent, altero die olei Cajeput gtt. 3. 4. bis terve datis cum ſaccharo cardialgia deſiit, icterusque poſtea ſolitis ceſſit remediis. Interea menſe Septembri ab eſu pyrorum revertit cardialgia cum ictero vehementiore, nec oleo jam camphorato nec oleo Cajeput, nec fotui e 🜄 camphor. ad epigaſtrium admoto, cedens, donec emulſione cum aquis leniter cardiacis et antiſpaſmodicis parata, ejusque uſui interpoſito ad alvum ſegnem movendam rheo, dolor primum, tum et aurigo, ſenſim deceſſit.

2. *Tabes*; quippe quam non dolor modo, et vigiliæ ab eo cauſatæ, ſed digeſtio quoque ac nutritio turbata ob anorexiam, vomitus, &c. poſt ſe trahunt. Hinc a ſoda emaciabatur COITERI (*a*) mulier, a cardialgia ALBERTI (*b*) femina, BERGERI (*c*) virgo, LANZONI (*d*) mulier, ancilla

(*a*) Vide §. 19.
(*b*) Vide §. 30. n. 1. e)
(*c*) Vide §. 17. n. 2.
(*d*) Vide §. 21.

RIEDLINI (*a*), ejusdemque textor (*b*), tum viri HIPPOCRATIS (*c*), POTERII (*d*) ac BADERI (*e*), hujusque miles, GILLERI (*f*) Præfectus viarum, ſacerdotes GOERITZII (*g*) ac SAUVAGESII (*h*), civis HOFFMANNI (*i*), literatusque SCHACHERI (*k*). Idem C. RAYGER (*l*) a graviſſima cardialgia, ex 3na in quotidianam verſa vidit in viro ſenatorio, obeſiore, ac nephritico, qui 54 annos natus e mœrore tabeſcens, compreſſionem præcordiorum cum anorexia primum queſtus, manifeſta deinde cardialgia vexari cœpit, in dies ingraveſcente, ſingulis tamen ternis diebus vehementius affligente, cujus prodromus ſemper erat ſenſibilis naſi extremi refrigeratio; donec quotidie circa veſperam ingrueret atrociſſima. Tremebat tunc continuo manus ac pes lateris dextri: inſultu hoc interdum ad auroram usque durante. Dolor cum nullis cederet remediis,

---

(*a*) Vide §. 46.
(*b*) Vide §. 66. b)
(*c*) Vide §. 75.
(*d*) Vide §. 38.
(*e*) Vide §. 17. n. 2. et §. 18. n. 4. a)
(*f*) Vide §. 17. n. 1.
(*g*) Vide §. 39.
(*h*) Vide §. 44.
(*i*) Vide §. 17. n. 1.
(*k*) Vide §. 39.
(*l*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 4. obſ. 10.

gr. ij. Laudani de tribus cum magiſt. perl. vel lap. 69 in ∇^{a} fl. aurant. momento omnis ad miraculum evaneſcens noctem inſequentem ſivit placidam. Alvum perpetuo clauſam enemata vel cathartica ſolvebant quidem, ſed etiam dolorem illico movebant, ita ut æger utrumque deinde renueret, ubi ſub finem morbi 3° quovis die alvus ſponte ſolvebatur. Feces ſemper, ut ſanis, compactæ erant: pulſus nunquam mutatus, niſi quod ſenſim debilior factus. Deglutitio inſuper mire læſa erat; ſiquidem æger ſolida deglutiret facillime, liquida vero nullatenus, niſi ſorbillando: unde ſitim intenſam non niſi aqua cochleatim ſumpta mitigabat, ſtatim enormi ptyaliſmo ſuperveniente, deſcenſum liquidorum impediente; qui quidem toto morbo ad mortem usque aderat adeo largus, ut quandoque pituitæ viſcidæ aliquot vaſcula quotidie colligerentur. Tandem æger extrema confectus macie obivit, nulla unquam affectus febre. VETILLART DU RIBERT (*a*) meminit matronæ ad 50 annos habentis, robuſtæ ac ſanæ, quæ A. 1752 ſcabiem nacta, ſpreta legitima medendi methodo, poſt fru-

(*a*) ROUX Journ. de Medec. Tom. 15.

ſtra varia integro anno tentata empyrica remedia tandem arcano cujusdam circumforanei remedio adhibito eandem retropulit intra 4 dies. Aliquot poſt menſibus invaſit cardiam dolor continuus, levis tamen initio, niſi quod certis temporibus acrius vexarit; at ab A. 1753 usque ad 1757, qui mortem attulit, continenter crevit, ut poſtremo ſemeſtri ægra perpetuum fere ſtomachi ſpaſmum cum nauſea, vomitu, dolorificiſque torminibus experiretur, donec noviſſimis 3 hebdomadis omnia alimenta non mutata vomitu reddens extrema confecta macie exſtincta eſt. In luſtrato cadaveris abdomine ▽æ purulentæ menſuræ 4 aut 5 repertæ; omenti pars ima in pus abiit, ſuperior erat 6 pollices longa, 4 craſſa; ventriculus inventus in ſtatu naturali; pancreas durum figura et magnitudine referebat ſtrobilos abietis, cujus apici nectebatur duodenum, a quo et ipſo omento interceptum compreſſumque erat perinde ac ipſa coli flexura, quæ adeo a binis illis tumoribus fuit compreſſa, ut diameter ejus digitum auricularem non caperet. Hiſce feliciores fuerunt CAMERARII (*a*) Eccleſia-

---

(*a*) Vide hiſtor. 2.

ſtes, et Clericus RAUII (*a*), ambo non modo a cardialgia, ſed tabe etiam percurati.

3. *Introvulſio xyphoidis cartilaginis.* „ A ſpaſmo cardialgico vidimus cartilaginem „ xyphoidem introrſum tractam „ inquit L. G. KLEIN (*b*).

4. *Vitia ventriculi* varia, præſertim

a) *Corrugatio* aut *diſtentio.* Hanc crebra per paroxyſmos inflatio prægreſſa ſtomachi debilioris, ut in HARTMANNI (*c*) puerpera, illam vero ſpaſmi vehementes et a cibis abſtinentia, ut in milite GARNERI (*d*) obtinuiſſe videtur, cauſant.

b) *Sacci* p. n. ſeu diverticula ventriculi. Iſthoc iis præſertim accidit, qui ob nativam ſtomachi anguſtiam cardialgiam patiuntur, vel queis maſſa quæcunque in cavo ventriculi debilioris, illam ſubigere et expellere non valentis, diutius hæret, qui ubi ſpaſmo contrahitur, ejus loca maſſæ dyſpeptæ contigua eodem tempore diſtrahuntur: quod ubi crebrius evenit, fibræ ſtomachi di-

(*a*) Vide hiſtor. 7.
(*b*) Interpr. clinic. (tit. cardialgia) p. 48.
(*c*) Vide §. 17. n. 1.
(*d*) Vide §. 21.

ctis in locis diſtractæ ſenſim hujusmodi efformant ſaccos et diverticula. Bina hanc in rem exempla ſuppetunt, unum H. F. DELII (*a*) de femina cardialgiam ſæpius paſſa, quam hauſtu Ωus frumenti lenire ſæpe ſatagebat, demumque gulam laqueo fregit. In cadavere, præter diverticulum in ileo verſus meſenterium, ventriculus velut duplex eſſe videbatur: „ erant autem fibræ ventriculi longitudinales in arcu majori . . . adeo in „ faſciculos, ligamentorum ſpeciem referen„ tes, ita collectæ, ut ex earum contra„ ctione ventriculus in binos ſaccos diſtin„ ctus videretur „. Ambigit quidem Cl. Vir, connatum ne id vitium, an a Ωu frumenti ortum fuiſſe credat? Ego vero etiam a frequenti ſpaſmo oriri potuiſſe nullus dubito. Alterum hujuſcemodi caſum V. E. E. COHAUSEN (*b*) memoriæ prodidit de viro perinde atroci cardialgiæ ſæpius obnoxio, qui poſt innumera remedia necquidquam uſurpata e vetulæ tandem conſilio ſilices minores politos in ripis collectos deglutiebat, ac initio quidem cum levamine; ſed cum

(*a*) Nov. act. nat. cur. Tom. 6. Obſ. 3.

(*b*) Act. nat. cur. Vol. 7. Obſ. 77. p. 256. ſqq.

crebrius poſtea revertenti dolori æger idem ſemper adhibuiſſet remedium, non ſine aliquo levamine, poſtremo dolor ne ſilicum quidem duritie expugnabilis, nedum aliis ſopiendus, hominem vigiliis confectum e medio ſuſtulit. In cadavere proxime pylorum ſacculus oblongus, e ventriculo ortum ducens, comparuit, inteſtino cœco ſimilis, deglutitis olim ſilicibus refertus; nec dubium, quin ab iisdem effectus fuerit.

c) *Inflammatio* cum ſuis ſequelis, quam dolor vehemens ſæpe admodum cauſare obſervatur; id quod etiam in ZACUTI (*a*) fabro lignario, BORRICHIIque (*b*) homine, eventus probavit.

5. *Carus.* Apud F. PLATERUM (*c*) mulier defectis jam per ætatem catameniis incidit in ſævam continuamque cardialgiam cum anxietate ac dyſpnœa; interdum vero dolores etiam nephritici, colici, ac iſchiadici, comite ſemper alvi conſtipatione, affligebant. Fruſtra variis ultra 6 hebdomades uſurpatis remediis, tandem ſuperveniens carus eam

(*a*) Vide §. 17. n. 4.
(*b*) Vide §. 29. n. 1.
(*c*) Obſ. ſelect. mantiſſa. Obſ. 7.

aliquot poſt diebus vita privavit, nullis perinde præſidiis expugnandus.

§. 30.

IV. SOLUTIO cardialgiæ ac ſodæ fit aut criſi aut metaſtaſi, aut ſuperveniente febre.

1. *Criſes* hic ſolennes ſunt fere

a) *Vomitus* cauſæ morbi, qui vel præſentem ſolummodo inſultum tollit, quin reditum ejus præpediat, velut in GILLERI (*a*) præfecto viarum, viro MARTII (*b*), ac Helveto BONNETI (*c*), GOERITZIIque (*d*) vetula, vel utrumque efficit, idque aut ſponte naturæ obortus aut remediis excitatus. Ita pyro ſicco vomitu rejecto convaluit RIEDLINI (*e*) puella. Idem Auctor (*f*) ab Ill. matrona narrando accepit „ quod Parochus „ quidam, cum per integrum biennium de „ onere ventriculum gravante conqueſtus „ fuiſſet, tandem nil juvantibus tum pur-

(*a*) Vide §. 17. n. 1.
(*b*) Vide §. 39.
(*c*) Vide §. 37. n. 3.
(*d*) Vide ſequens e).
(*e*) Vide §. 40.
(*f*) Lin. med. ann. 6. Octobr. 11. p. 1151.

„ gantibus, quibus expellere hoc onus, tum
„ ſtomachicis, quibus conſumere illud ten-
„ tavit, intumeſcente abdomine, et ventri-
„ culi præſertim regione, de convaleſcentia
„ jam penitus deſperaverit; cum mendica
„ quædam . . . ſe remedium ſuppeditatu-
„ ram, quod omnino decumbentem juvare
„ poſſit, promiſit. Promiſſis etiam ſtetit,
„ et cataplaſma ex herbis quibusdam in vi-
„ cinia collectis paravit, et hoc aliquoties
„ de die calens abdomini tumenti impoſuit.
„ Unde cum non dum per integram hebdo-
„ madem hunc laborem continuaſſet, mol-
„ lius primo abdomen fieri cœpit, hincque
„ et quodammodo detumeſcere, ſucceſſit-
„ que 8° fere ab applicato hoc primo cata-
„ plaſmate die vomitus longe vehementior,
„ ac quidem olim vel medicamentis moveri
„ potuerat, vel et ſponte interdum ſubortus
„ fuerat; et hoc mediante nucleum pruni
„ adhuc integrum rejecit, huncque ante
„ biennium ſe deglutiiſſe recordatus fuit.
„ Ex illo vero tempore . . . brevi ſic con-
„ valuit, ut ab unico hoc nucleo quævis
„ ſua mala originem traxiſſe nullus dubita-
„ verit „. Perinde C. T. BIERLINGII (*a*)

(*a*) Adverſar. curioſ. Cent. 1. Obſ. 35. Schol.

„ ſenex cardialgia laborans, quam ex eſu „ carnis anſerinæ aſſatæ contraxerat, noctùrno tempore. . . inſigni dolore et anxietate circa ventriculum vexabatur adeo, „ ut externe regionem ventriculi digitis præ „ dolore attingere non poſſet; a qua tamen „ ſuperveniente vomitu iterum liberabatur „. Et apud F. PLATERUM (*a*) „ femina quædam ſe proſtituere ſolita, marito infenſa, „ cum febricitantem e medio tollere cogitans, hanc occaſionem nacta, ad me (inquit Auctor) urinam detulit, ut illi remedium quoddam præſcriberem; quod et „ feci, atque ex rhabarbaro levem potionem præſcripſi: quam illa non parari curavit, ſed pharmacopœum accedens, radicem Lycoctoni Aconiti ab eo petiit, „ ut eam lixivio pro ablutione capitis infantibus ad pediculos enecandos incoqueret. „ Quam cum illa in juſculo decoxiſſet, marito ægro tamquam a me ordinatam potionem propinavit, adſtantibus indicans, „ me letalem hunc morbum eſſe pronunciaſſe; quod falſum erat. Ille ſumpto hoc „ toxico cardialgia gravi affectus, crebra et

(*a*) l. c. p. 423. ſq.

„ vehementi vomitione a periculo mortis et „ febre ſimul fuit liberatus „. Idem etiam eventus eſt, ubi pravi humores in ſtomacho collecti, eumque laceſſentes, vomitu demum excutiuntur, quemadmodum apud F. GHERLI (*a*) ancillæ euſarcæ, 35 annorum, accidit, diu cardialgiam expertæ, quæ demum ſummopere adaucta cum aſſiduo fere rugitu, ſtomachi pondere, anorexia, alvo adſtricta, febriculaque lecto illam affixit. Sub ventriculo lienem verſus tangebatur petroſa quædam durities rotunda et pugnum æquans, paucis ab hinc diebus enata; quæ cum non ſcirrhus ſed prava humorum colluvies eſſe videretur, data per epicraſin potio cathartica. Ab hac ægrota ingentem quotidie vim aquoſæ colluviei putidiſſimæ dejecit; quæ quo diutius excernebatur, ita morbi quoque ſymptomata minuebat, et ægra intra paucos dies convaluit. Ultra annum ab hinc ſaniſſimam repente iterum prehendit cardialgia cum ſymptomatibus priſtinis, duploque nunc majori tumore. Cum autem ægra remedia quæque renuens ad conclamatum

---

(*a*) Rare Oſſerv. di Medic. e Ciruſ. Cent. 2. Oſſerv. 43. p. 237. ſqq.

jam redacta eſſet ſtatum, ecce! oborto vomitu placido aquæ puriſſimæ plus 6 pintis rejecit. Quo facto dolor pedetentim cum ſymptomatibus reliquis abiit, haud amplius reverſus, et ancilla conſtantem inde nacta eſt ſanitatem. Id ipſum etiam AMATI (*a*) accidit Abbati, qui materia albumen ovi referente vomitu eliſa convaluit. Sic et J. P. WOLFFIUS (*b*) narrat virum 54 annorum triennio quotidie horis pomeridianis cardialgiam cum anxietate pati ſolitum, uſu cathartici, poſtea vero eſſentiæ ſtomachicæ, ſub exacto vitæ regimine per annum a morbo manſiſſe immunem. Sed cum in recidiva dolor iisdem haud cederet remediis, uſu acidularum kiſſingenſium cum juſta diæta rurſum eſt ſopitus, nec niſi ab eſu cœparum ſtomachus lædebatur. Tandem dormientem apoplexia invaſit, in paralyſin lateris dextri abiens, cum crebriori vomitu materiæ copioſæ viridis, perquam auſteræ, axungiæ ſimilis, ſubſequente ſopore diuturno et aphonia. Facta V[æ] S[e], admotis veſicantibus, aliisque cum excitantibus tum vacuantibus,

(*a*) Vide §. 33. n. 3.

(*b*) Act. nat. cur. Vol. 5. Obſ. 32.

ac poſtea roborantibus datis, intra paucos dies ſenſus motusque et ipſa priſtina ſanitas rediit, cardialgia nunquam. Calculorum quoque vomitu cardialgia viſa eſt conquieviſſe, dum huic illi occaſionem præbuere (*a*). J. J. W. DOBRZENSKY (*b*) refert feminam, ubi vomitu arte excitato duos calculos, figura, colore, ac magnitudine amygdalis ſimiles, excrevit, a diuturna cardialgia cum anxietate et anorexia fuiſſe liberatam. Perinde vidit GENTILIS (*c*) calculum gypſi inſtar durum, ovalem, nuci communi æqualem, poſt ſtomachi dolorem vomitu expulſum. Denique inſectis etiam vomitu rejectis toties cardialgia viſa eſt deſiiſſe. Sic E. HAGENDORNII (*d*) „ vidua diu miſereque „ ventriculi dolore morſicante fatigata . . . „ per ſomnium noctu putans ſibi vermem in „ fauces aſcendere, eundem digito prehendit, et ad feneſtram projecit, ex ſomno „ licet non dum expergefacta . . . Et ſic ſine medicinæ ope a cardialgico illo paro-

---

(*a*) Vide §. 21.

(*b*) Miſc. nat. cur. dec I. ann. 2. obſ. 181.

(*c*) Comment. in AVICENN. L. 4. F. I. Tr. 2.

(*d*) Hiſtor. med. phyſ. Cent. 2. hiſt. 4.

„ xyſmo penitus liberatur. Sic miranda pa-
„ riter fuit cardialgia illa cum lumbricorum
„ per vomitum et ſeceſſum exoneratione ſti-
„ pata puerperæ . . . . quæ . . . . ex febre
„ acuta periculoſe decumbens cum diarrhœa
„ torminali tantas experta eſt circa ventricu-
„ li regionem morſicationes, ut quo ſe ver-
„ tat, neſciret miſella. Quare . . . datis
„ bezoarticis cum anthelminticis, laxantibus
„ interpoſitis, impetratum id eſt, ut quo-
„ tidie *ἄνω καὶ κάτω* lumbricos rejice-
„ ret, interdum unum, interdum duos,
„ rufos, ſat longos, præcedente eorum re-
„ jectionem nauſea cum lipothymia. Conva-
„ luit tamen . . . medicaminum dextro uſu „.
Perinde narrat T. BARTHOLINUS (*a*): „ cum
„ ruſticus operi ſuo intentus res ſuas ſanus
„ ageret, ſubito relicto opere domum ſe
„ conferens cardialgiam ſenſit: ſupervenien-
„ te mox vomitu vehementi rejecit magnam
„ maſſam materiæ pituitoſæ, cui immixti
„ viſebantur 200 vermes lanuginoſi viven-
„ tesque, medium digitum longi, pedicu-
„ lis ſuis et capitibus rotundis conſpicui.

(*a*) Act. med. et phil. Hafn. Vol. 5, Obſ. 34 p. 118.

„ His rejectis convaluit „. Alius S. LEDELII (*a*) „ ruſticus 26 annorum. . . A. 1699 „ menſe Februar. derepente corripitur dolore cordis lancinante . . . cum difficultate „ reſpirandi et ſubitanea virium proſtratione, metuque repentinæ mortis . . . Oleum „ lini recenter expreſſum aſſumit ſtatim ægrotus, nec tamen inde levatur, ſymptomatibus ſupra notatis continuantibus; ſentit „ præterea continuo nauſeam cum ſumma „ anxietate. Jacet ita ut moribundus per „ aliquot dies: tandem inſurgit natura omnibus collectis viribus, et unico ſatque forti vomitu exturbat ſaburram vitioſam et „ pituitoſam e ventriculo cum verme 5 „ transverſos digitos longitudine æquante, „ leniter ſe ſe adhuc motitante, ſtatim autem „ moriente: caput primam articulationem „ digiti indicis æquaverat magnitudine. Hoc „ exantlato labore cardialgia evaneſcit, reſpiratio exſiſtit facilior, et cibo potuque „ refectus in dies priſtinas recolligit vires, „ plene jam . . . valens „. Et D. DE MARINIS (*b*) „ pluries hos vivos (vermes)

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 7. Obſ. 61.
(*b*) Diſſ. philoſ. med. de re monſtroſa a Capucino Piſauri per urinam excreta, p. 41.

I

„ quam plures ex ore Tuſculanæ mulieris ., . „ poſt acerbiſſimos ventriculi dolores proru- „ piſſe conſpexit „ . Haud ſecius excretis vomitu vermibus deſiit cardialgia AMATI (*a*) juveni, binis apud CHESNEAU (*b*) feminis, puellæ RHODII (*c*) ac SCHULTZII (*d*), STEGMANNIque (*e*) mulieri. Porro apud F. PLATERUM (*f*) „ puellus quidam non dum an- „ no ætatis completo a matre in vinetum „ deportatus, caſu (non obſervante hoc „ matre) ſcarabæum nigrum oblongum vi- „ vum deglutivit A. 1601 in Auguſto. Cœ- „ pit inde ploratu moleſtiam, quam circa „ ventriculum ſentiebat, teſtari, cibum re- „ ſpuere, raucus fieri. Quorum cauſam cum „ parentes ignorarent, anxii cibum illi ob- „ trudebant. Tandem elapſo biduo cum ali- „ quid intromiſiſſet, admodumque torque- „ retur, vomitus ſupervenit, quo ſcarabæum „ una cum cibo et pituita, ſed mortuum,

---

(*a*) Vide §. 33 n. 4.
(*b*) Vide §. 40 et 41.
(*c*) Vide §. 40.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Vide §. 41.
(*f*) l. c. p. 426.

„ evomit „. Ita etiam referente J. H. LINCKIO (*a*) „ fabri cujusdam lignarii conjux varias ſubinde moleſtias ex morbo epileptico ſuſtinuit, et accitas ſtomacho vellicationes vehementer queſta eſt, eſu ciborum acidorum graviter exaſperatas, dulcium autem quodammodo mitigatas, lactis vero preſſi copia et coagulo caſeis conficiendis accommodato penitus ſopitas. Accidit autem, ut cum cereviſiam dulcem recens coctam potaret, lacerta quæpiam per œſophagum egredi moliens poſt longas titillationes in lucem prodiret, quam poſt aliquot dies duæ aliæ ſunt ſecutæ. Plures ſtomacho ineſſe hariolata eſt mulier; quia nunquam non cibo acido irritatæ per eosdem colli parietes aſcenderunt, nec ſine notabili ſono præcipites ſe dederunt in ſtomachum. Tollendis vellicationum inſultibus primum varia Mithridatii copia intenta fuit, ſed fruſtraneis jugiter ſucceſſibus, donec primam lacertarum modo dictarum animadvertit, et quo morbi genere laboret. Aut me fallunt omnia (ſubjungit Obſervator), aut pauperis conditio-

---

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 1. Obſ. 107.

„ nis mulier plus aquæ quam cereviſiæ hau-
„ rire ſolita cum ipſis aquis ovula imbibit,
„ quæ in corpore excluſit; eſt enim ordina-
„ ria lacertæ aquaticæ ſpecies „ quam itera-
to mulier excrevit. Ovulane interea vel ipſas
jam lacertulas in aqua hauſerit, in medio re-
lictum eſto, ſed poſſe aquarum potu ſimilia
in ventriculum deferri, ſuadet F. HILDANI *(a)*
obſervatio: „ juvenis quidam (narrat ille)
„ ex domeſticis meis cum æſtatis tempore
„ peregre profectus eſſet, et in via inca-
„ luiſſet, non procul Murato Helvetiorum
„ ad tubulum fontis admoto ore maximum
„ hauſtum frigidæ bibit. Quid fit? Exo-
„ ritur ſtatim dolor ventriculi, ita ut non
„ niſi maxima cum difficultate Muratum per-
„ venerit, ubi ante portam urbis in lipo-
„ thymiam incidit. Cum vero evomuiſſet
„ et inſectum vermemque multipedem, ut
„ in fontibus plerumque conſpiciuntur, re-
„ jeciſſet, ceſſavit dolor. Quapropter ulte-
„ rius ad urbem ſe contulit, ubi . . . per-
„ noctavit, et ita reſtitutus fuit, ut ſequen-
„ ti die iterum in viam ſe dederit, et iter
„ ſuum abſolverit „. Hinc veri eſt ſimilli-

(a) Obſerv. et cur. med. chirurg. Cent. 5. Obſ. 29.

mum, ab eadem cauſa ſævam fuiſſe cardialgiam exortam, quam idem hic Auctor in alio ægro curandam habuit (*a*). Denique oculata fide refert J. WALL (*b*) novennem puellam diuturna laboraſſe cardialgia rodente, quæ cum continenter creſceret, vocabatur Auctor. At ¼ horæ ante ſuum adventum puella in vehementem incidit vomitum, quo ingentem vim animalculorum exiguorum vivorum excrevit (quorum numerus ad 1000 æſtimabatur) cum magna muci limpidi ac pellucidi copia. Externo habitu animalcula hæc millepedes referebant, niſi quod aliquibus, quæ microſcopio luſtrabantur, medio e corpore filum prodire obſervaretur, ope cujus procul dubio ſuo cum nido cohærebant. Magnitudo non eadem erat omnibus, alia maximas millepedes æquabant, alia rurſus tam exigua fuere, vix ut cerni poſſent: unde diverſis temporibus in ſtomacho generata, ac ſenſim incrementum ſuum nacta ſint, oportet. Cum autem puellam inopinate vo-

(*a*) Vide hiſtor. 6.

(*b*) Apud LESKE auſerl. Abhandl. pract. u. chir. Innhalts aus den Philoſ. Transact. 5 Theil n. 4. p. 18.

mitus corripuerit in pavimento ſedentem, omnia etiam in pavimentum excrevit. Inſecta principio erant agilia, celeriterque varias in partes diſcurrebant, at non diu libero in aere vixerunt. Sub adventum Auctoris jacebant adhuc ſuper pavimento, ut nulla fraus narrationem corrumpere potuerit. Excretis his inſectis ventriculus puellæ ad ſanitatem rediit, et ægra ex hocce tempore optime valuit. Porro H. GABUCINUS „ hiſto-„ riam tradit . . . mulieris . . . quæ cum „ ſtomacho graviſſime laboraret, plurimum-„ que pituitæ vitreæ evomuiſſet, ac veluti „ animo linqueretur, paulatim graviori ſo-„ mno excitata in moleſtiſſimum vomitum „ incidit, quo tandem durioris pituitæ glo-„ bum ejecit, . . . adveniente Medico fru-„ ſtum illud veluti carneum apertum, in il-„ loque vermiculus brucho (Germanis *Rau-„ pe*) quam ſimillimus adinventus; quo „ ejecto mulier convaluit „ (*a*).

b) *Alvus*, qua cauſa morbi (aut ſaltem paroxyſmorum) egeritur, ſeu hanc prava humorum colluvies, ſeu dyſpepta, ſeu in-

(*a*) P. J. SCHENFELDER hiſtoriar. narrat. et curat. medic. Lib. 1. hiſt. 2. Schol. p. 7.

ſecta, &c. conſtituerint. Sic acceſſiones cardialgiæ urina vel alvus ſoluta mitigabat in BARTHOLINI (*a*) filia, et POMMEI (*b*) in monacha eandem biliosa diarrhœa oborta ſenſim ſuſtulit. Perinde RIEDLINI (c) ancilla, ubi oſſiculum cum braſſica deglutitum alvo excrevit, a cardialgia eſt liberata. Haud ſecius C. RUMBAUM apud J. SCHENCKIUM (*d*) „ tonſoris cujusdam uxorem (ait) de ingentibus ventriculi doloribus compunctionibusque conquerentem, faciem nobis pallidam ſublividam turgidulamque totum denique corporis habitum cachecticum præ ſe ferentem, cum frequenti ex cardialgia et lipothymia, non ſine veneni alicujus accepti ſuſpicione, curare tentavimus. Primum itaque ſyrupum de cichor. cum rhabarbaro, de meliſſa compoſ. cum aqua zedoar. ut aſſumeret aliquoties, ſuaſimus. Quo bis facto magnas ventriculi punctiones, inteſtinorum tenuium craſſiorumque tormina, recti vero gravem moleſtumque

(*a*) Vide §. 25. n. 2. b)
(*b*) Vide §. 44.
(*c*) Vide §. 46.
(*d*) Obſerv. med. L. 3. P. 1. Obſ. 265.

„ teneſmum perpeſſa eſt: donec multa oſſi-
„ cula, ſtimulosque calcarium gallorum gal-
„ linaceorum inſtar, per alvum egereret non
„ ſine animi deliquio. Quibus tamen ex-
„ cretis ab omnibus ſymptomatibus liberata
„ fuit, atque etiamnum incolumis ſupervi-
„ vit „. C. GEMMÆ (*a*) mulier poſt diuturnam cardialgiam calculum triangularem caſtaneam æquantem alvo reddidit, qui aut in cyſtide fellea aut ſtomacho generatus utique fuerit. Huc mirus ille W. MUSGRAVII (*b*) caſus pertinet de muliere 30 annorum, teneri habitus, cui a trimeſtri circiter febre cum vomitu acido et cardialgia intra 3 hebdomades abſorbentium, diaphoreticorum, ac vel maxime corticis Peruviani uſu liberatæ cardialgia ſuperfuit, acceſſitque copioſus ptyaliſmus, cum flatulentia et enormibus lateris doloribus. His demum ſe junxit icterus, cui cum opponerentur antiictericæ pilulæ cum decocto FULLERI, cœpit ægra citra illum dolorem alvo aliquamdiu egerere, jam quotidie jam poſt 2. 3 dies, veſiculas variæ magnitudinis, minima caput ſpintheris ma-

(*a*) Coſm. L. 1. C. 6.
(*b*) Apud. LESKE l. c. 1 Th. n. 61. p. 158.

joris, maxima ovum gallinæ, æquantibus; color aliis albus erat, aliis flaveſcens, ab humore nempe intus contento gelatinæ C. C. plus minus croceæ ſimili; aliæ integræ prodibant, diſruptæ aliæ et excavatis Corinthiacis paſſulis vel baccis ribeſiorum vel prunis ſimiles; nulla in iis organi fabrica, nec ulla in cavo animalcula, reperta: numerus omnium ad 40 fuit. Ante vero, quam hæ veſiculæ egererentur, mulier continuam ſenſit cardialgiam, continuumque fere in ſtomacho frigus, nauſeas, vomituritiones, hyſtericasque ſuffocationes, vomitu multus frigidus mucus rejiciebatur; poſt excretionem vero earumdem remiſerunt hæc ſymptomata, ſuperſtite ſtomachi velut lacerati dolore, et digeſtionis impotentia. Interea toto morbo alvus aperta mage, quam adſtricta fuit; at feces intolerando fœtore graves erant: appetentia prorſus abfuit, ſomnusque vix ſine opii uſu obrepſit. Ægra admodum emaciata mortualem pallorem præ ſe tulit. Nihilo tamen minus remediis maximam partem depurantibus ac vulnerariis, præſertim vero uſu ℞ᵉ gentianæ ac myrrhæ ex aqua convenienti datæ, plane convaluit. Mirabilior etiam (modo perinde vera foret)

eſt obſervatio J. S. ALBRECHTI (*a*) de muliere 64 annorum, ter olim partu levata, poſtea autem a viro deſerta, et ad mendicitatem redacta, quæ 24 Decembr. cardialgiam continuam, niſi quod per intervalla ingraveſceret, ſentire cœpit. Paulo poſt autem dolor ad hypochondrium lævum devolutus varia tentare remedia coegit. Cum vermium adeſſet ſuſpicio, criteria adhibebantur, nempe applicabantur umbilico primum funduli, deinde putamina juglandium farina triticea melle ſubacta referta; ſed intra unam alteramve horam ſemper et hæc vacua reperiebantur, et illi ita conſumpti, ut præter ſceleta nil ex iisdem ſuperfuerit. Quapropter proxime Paſcha ♄ metallicus, quo fictilia vaſa incruſtari ſolent, melle remixtus umbilico admotus eſt, qui licet intactus manſerit, dolores tamen ex illo tempore plane ſiluerunt. Inde 10ª Aprilis ægra lac ebutyratum hauriens poſtero die compluries vomuit, alteroque abhinc die cum fecibus alvinis egeſſit murem domeſticum ſemiputridum. Quo facto prorſus convaluit. Sed fides penes Auctorem! Vermibus autem ano catoque

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 5. Obſ. 142. p. 471.

egeſtis a cardialgia immunis evaſit mulier STEGMANNI (*a*).

c) *Urina*, qua et BARTHOLINI (*b*) filiæ ſolvebantur acceſſiones, et J. RHODII (*c*) „ pharmacopœus . . . cardialgia corre„ ptus cum difficili reſpiratione, ſero co„ pioſiſſime per urinas excreto intra quatuor „ ac viginti horas convaluit „.

d) *Gonorrhœa* benigna vera, idque præ primis in cardialgia podagrica, qua via materia podagræ exitum molita, ſtomacho relicto, evacuatur. Illuſtrem hujus rei caſum narrat D. CLERK (*d*), nempe homo ad 30 annos habens, cujus varii propinquiore ei affinitate juncti podagræ obnoxii fuerunt, et cujus ipſe etiam leviores inſultus aliquoties perſenſit, ſed ob remiſſiorem, quam eſſe ſoleat, dolorem podagram eſſe minus credidit, a pluribus annis vitiatum ventriculum cum cardialgia, vere præſertim autum-

(*a*) Vide §. 41.

(*b*) Vide §. 25. n. 2. b).

(*c*) Obſerv. medic. Cent. 2. Obſ. 70.

(*d*) Neue Verſuche u. Bemerk. aus der Arztneyk. einer Geſellſch. zu Edinb. 3 B. n. 19. p. 413. ſqq.

noque, patiebatur, nihil variis proficientibus remediis. Tandem ſumpta alterno veſpere elixirii ſacri ℥β et tunc convaluit, et poſtea quoque ita ab hoc remedio profecit, ut liberius, quam unquam ante, ederet biberetque. Inſequenti vere ob leviorem ſtomachi ægritudinem neglexit elixirii uſum, juſtoque maturius domo prodivit. Idcirco in copioſum incidit ſeminis profluvium, pravi quidem coloris, ac ſine lentore, ſed citra ullam ſtranguriam vel urinæ ardorem. Quo facto ventriculus ad priſtinam rediit ſanitatem. Hoc obſervato, ſimulque quod æger nullius ſibi contagii venerei eſſet conſcius, gonorrhœa iſthæc pro criſi podagricæ materiæ merito habebatur. Proinde dato priſtina methodo elixirio ſacro æger intra 10 vel 14 dies convaluiſſe viſus eſt. Verum cum brevi poſt aliquoties venatum egreſſus multum equitaſſet, inſignem unius teſticuli tumorem cum inflammatione eſt nactus; at ſanguine detracto, doſibusque aliquot infuſi amari cum ſenna exhibitis, fotibus præterea et cataplaſmatis de cicuta admotis, ab hoc etiam malo convaluit, ſine ullo alio ſymptomate venereo conſecuto, imo ſine ullo alio morbo per 14 menſes ſaniſſimus manſit, quin vel hilum de ☿[io] uſurparit.

e) *Hæmorrhagiæ* etiam interdum obortæ viſæ ſunt cum cardialgiam tum ſodam ſuſtuliſſe, præſertim ubi hæc mala ab imminuta ſanguinis vacuatione conſueta pullularunt. Apud J. STORCHIUM (*a*) mulier 42 annorum hæmorrhoides qua tumentes qua fluentes aliquoties jam experta, poſt eſum braſſicæ et aliquot pyrorum incidit in gravem ſodam cum vomitu. Sumpta autem TR^a^ rhei commun. poſt excretionem alvi cum ardore lenis hæmorrhoidum fluxus obortus ſtomachi mala diſcuſſit. Sic HERMANNI (*b*) quoque gravidam haud prius dimiſit ſoda, quam lochiis a partu profuſis. SCHUSTERI (*c*) perinde gravidæ cardialgiæ recidivæ non ante deſiere, quam a partu. V. RIEDLINUS (*d*) curandam habuit mercatoris uxorem 40 annis majorem, quadratam, robuſtamque, cui ante ſemeſtre lochiis parcius ſolito profuſis ab illo tempore ſanitas non prorſus priſtina, abdomenque tumidum, obtigit. Nullis ad hæc (quod ſponte abitura ſperaret) remediis

(*a*) Obſerv. clinic. ann. 6. Octobr. Cl. 4. p. 719.
(*b*) Vide §. 23. n. 1.
(*c*) Vide §. 30. n. 2. d).
(*d*) Curar. medic. millenar. n. 968. p. 683.

adhibitis, nuper a convivio reverſæ nocte media intenſiſſima ſupervenit cardialgia, nec ſuccedentibus vomitibus nec ſtomachicis nec opiatis minuenda; ſed per 9 fere horas cruciante dolore & a vomitibus increſcente etiam, omnia ingeſta vomitu rejiciebantur: donec lene catharticum datum, licet alvum haud moverit, et dolorem mitigaſſet, et vomitum ad 4 horas ſtitiſſet, quam nimius deinde potus revocavit. Injectum abhinc enema alvum non elicuit, ſed ubi rejectum eſt, haud parva ſeri cruenti copia ex utero profluxit; injecto dein alio enemate alvus reſerata noctem quietiorem effecit. Verum ob ſegniorem adhuc alvum acerba cephalalgia oborta eſt, cui veſperi oppoſitus ♁ e ſpecif. ceph. et cach. mixtus, maneque licet interea fluxus catameniorum apparuerit, potio laxans imperata, mota aliquoties alvo cum euphoria, priſtinam reſtituit ſanitatem, cui ſtabiliendæ uſu eſſentiæ ♂ proſpiciebatur. Queis autem ab infarctu vaſorum abdominalium cardialgia enaſcitur, iis vomitus cruentus ſuperveniens dolorem ſolvit, idque vel citra recidivam ulteriorem, vel certe cum induciis haud contemnendi temporis.

Ita M. ALBERTI (*a*) „ femina quædam ali-
„ quamdiu eximio ſiniſtri hypochondrii do-
„ lore una cum gravi cardialgia, virium
„ proſtratione, appetitus dejectione, ſomno
„ turbulento, et ſucceſſiva contabeſcentia,
„ laborabat, quæ tandem in vomitum cruen-
„ tum delapſa, et per hunc cum multo le-
„ vamine a priſtina afflictione liberata fuit „.
Acceſſionem perinde doloris vomitus cruentus DOUINETI (*b*) Conſuli non ſine ſolatio ſolvebat. Neque minus huc referenda videtur eſſe J. A. GOERITZII (*c*) civis 65 annorum, infirmi habitus, quæ in 30 annos cardialgiæ acceſſionibus laborabat. Jejuna optime ſe habebat; a prandio autem plerumque tempeſtas morbi ingruit: preſſio ſtomachi tanta primum oboriebatur, ut ſudor frigidus in fronte eruperit; dein ſonori ſuccedebant ructus, ac ſi lapides e faucibus eliderentur; demum omnia vomitu rejiciebat cum tanto ſimul acore, ut dentes inde ſtuperent.

(*a*) Diſſ. de morbor. ſalubritate §. 10. p. 28. (Reſp. J. D. ENGEL 4. Halæ 1723).

(*b*) Vide §. 74. n. 2.

(*c*) BÜCHNER miſcell. phyſ. med. math. A. 1729. Jul. Cl. 4. art. 7. p. 454.

His finitis melius iterum habebat, præſertim dum exiret, ac vel maxime flante vento, quam ſi domi ſe contineret. Porcina, caſeus, vel frixata continuo cardialgiam revocabant, haud prius deſituram, quam omnia rurſus vomitu fuiſſent excuſſa. Lædebant etiam carminantia calidiora, ac tanto magis valida cathartica, leniora vero ſemper aliquot dierum inducias procurabant; licet nec iſta crebrius dare viſum fuerit, quod ægra parum alimentorum retineret, viribusque exhauſtis eſſet. Dato aliquando ♁^{e} diaturb. c. rheo ſeceſſit tænia, cujus cum $\frac{1}{2}$ ulna ex ano propendente reliquum non ſequeretur, pars propendens ab reſiduo intus latente vi avulſa eſt. Vice quadam autem magna ſanguinis copia vomitu excreta vetula integro anno bene ſe habuit. Videtur ſane morbus hic circa tempus menſium per ætatem deficere occipientium fuiſſe enatus a ſanguine in vaſa abdominis regurgitante, cui forte maturæ V^{æ} S$_{es}$ multum profuturæ fuiſſent.

2. *Metaſtaſes* vero, præter eas, quæ materiæ ſcabioſæ, rheumaticæ, arthriticæ, podagricæ ad priſtinam ſuam ſedem reverſio-

ne contingunt, ut in RIEDLINI (*a*) vidua, hocce in morbo obſervatæ, ſunt in primis

a) *Abſceſſus* purulenti, ope quorum plerumque natura eliminare molitur deglutita dyſpepta vulnerantia, ut oſſa, acus, &c. quod in SCATII (*b*) milite os cum carne glutiente evenit. Similem etiam caſum A. BENIVENIO (*c*) videre contigit: „ devoraverat mulier quædam (narrat ille) æneam „ acum, et nulla inde noxa percepta inte-„ grum annum, ita ut erat, ſana permanſit. „ Quo peracto cœpit dolor ſatis acutus mu-„ lierem ipſam circa ventriculum urgere; „ qui dum eam magis magisque in dies affli-„ geret, plures conſuluit medicos, nihil „ tamen de devorata acu, quam penitus „ oblivioni tradiderat, referens. Variæ fue-„ runt hinc inde ſententiæ; alii enim ab „ acutiore humore, alii a vento inter tuni-„ cas ſtomachi recluſo, ceteri vero ex malo „ habitu excitari hoc malum putabant. Cum-„ que omni, quo poterat, ſtudio et dili-„ gentia curata ſanitatem nullo modo conſe-

(*a*) Vide §. 37 n. 5.

(*b*) Vide §. 18 n. 1. d).

(*c*) De abditis Cap. 20.

„ qui poſſet, medicæ artis ſpe depoſita to-
„ lerare id malum ſatius duxit, quam per-
„ petuis medicamentis inaniter vexari. Sic-
„ que annis jam 10 tali urgente dolore mi-
„ ſeram vitam trahebat; cum ecce acus illa
„ terebrato ventriculo e parvo demiſſa fo-
„ ramine prodiit. Nos autem et acum vi-
„ dimus, et mulierem curavimus, quæ pau-
„ cis poſt diebus unitate vulneris facta in
„ priſtinam ſanitatem reſtituta eſt „.

b) *Furunculi*, *pſora*, *herpes*, aliave chronica cutis exanthemata, præ primis ſi cardialgia ab horum retropulſione ortum duxit. Sic VETILLARTII (*a*) matrona 30 annis major a repreſſa ope unguenti pomati ſcabie ægreſcebat inſigni cum languore, ſimulque cardialgiam experiebatur per momenta quidem tantum, aſt adeo enormem, ut quaſi a canibus ventriculus ſibi evelli videretur. Imperata itaque balnea, uſus florum ♀, et crebra ſcabiei, qua proles ejus etiam tum affecta erat, contrectatio et accubitus. Quo facto non dum lapſis 14 diebus ſcabies revertit magnis puſtulis; a qua dein electuario e millepedib. ☿° dulc. rad. helenii cum ſ. q.

(*a*) l. c.

ſyr. de rhamno cathartico, et juris vitulini cum plantagine et fumaria, convaleſcens per biennium ſana vixit, niſi quod furunculis eſſet obnoxia. Apud P. R. VICAT (*a*) matronæ 50 annis paulo majori, et ad iram pronisſimæ; ubi 43um ætatis annum attigit, menſes deficere cœperunt: unde poſt aliquot menſes incidit in ſemeſtrem cardialgiam continuam, per intervalla acutiſſimam, variaque ſtomachica et cathartica eludentem; qua ſponte demum conticeſcente effloruit in femorum interna ac ſuperiore parte herpes prurientiſſimus, noctu præſertim, non ſine inquietudine, vigiliis, ac febre. Memorabilem quoque id genus caſum M. SCHURIGIUS (*b*) narrat: „ carpentarius annum 66 ſupergreſſus ſæpiſſime circa regionem ventriculi „ tantum perſentiebat dolorem pungentem „ mordentem et arrodentem, ut pro certo „ affirmaret, ſe vivum quoddam animalcu- „ lum ibidem habere, quod ipſum morden- „ do cruciaret. Interim talis dolor nun- „ quam ceſſabat, niſi poſtquam dictus civis „ tantam materiæ nigerrimæ inſtar ſangui-

(*a*) l. c. Obſ. 28. p. 115. ſqq.
(*b*) Chilologiæ Cap. 7. §. 33. p. 475.

„ nis congrumati, paucis tamen ſtriis flori-
„ di ſanguinis intermixtis, quantitatem re-
„ jiceret, quantum vix pileus caperet. Poſt
„ ejusmodi excretiones dolor equidem mor-
„ ſicans per aliquot menſes remittebat; ſæ-
„ pius tamen, et uti memini, quinquies re-
„ currebat: donec tandem adhibitis meo
„ conſilio medicamentis antiſcorbuticis per
„ univerſam ipſius cutem multa millia exan-
„ themata et puſtulæ inſtar ſcabiei ſcorbuti-
„ cæ aut potius venereæ provenirent, quæ
„ ipſum non ſolum admodum defœdabant,
„ ſed intolerabili quoque pruritu et ardore
„ a capite ad calcem usque vexabant, ut
„ per longum temporis ſpatium dies noctes-
„ que inſomnes ageret: usque dum per me-
„ dicamenta idonea ab hoc malo liberare-
„ tur. Ex quo tempore poſtmodum non
„ ſolum ab illo ſed aliis etiam morbis im-
„ munis annum 84um attingebat, demum-
„ que maraſmo ſenili vivere deſinebat „.

c) *Enteritis*; ſed perniciem inten-
tans, cujusmodi fatalem metaſtaſin V. RIED-
LINUS *(a)* obſervavit in virgine prope 40
annorum, quæ diuturno tempore de ſtoma-

(*a*) Lin. med. ann. 6. Febr. 14. p. 173.

cho conqueſta demum tantopere ſodam patiebatur, ut opem cogeretur quærere: biduo ante mortem dabatur ♁ e ſtomach. BIRKM. ſpecif. cach. LUDOV. et caſtoreo conflatus, cum nec pulſus nec urina periculum præſagirent, nec facies mutata eſſet, nec ſpiratio gravior, ſed menſes deficerent; quo cum bis terve uſa fuiſſet, ardor quidem ſtomachi remiſit, ſed alius hypochondria invaſit, torminoſus, cum febre, quo remediis exaſperato, ægra ſibi convelli inteſtina, mortemque inſtare, profeſſa nocte inſequente exſpiravit. Abdomen a morte valde intumuit

d) *Icterus*, non is, qui cardialgiæ ſe jungit (*a*), ſed qui illa remittente oboritur, ſolutionem ejus ſignificat. Quemadmodum „ matrona quædam divexata doloribus „ ventriculi inſignibus cum leipothymia, bi- „ lis flavæ effuſione in totius corporis am- „ bitum evaſit, et curata fuit „ teſte CAMERARIO apud J. SCHENCKIUM (*b*). Luculentiorem hujus rei caſum literis mandavit J. R. S. HOLDEFREIND (*c*) de muliere 34 anno-

(*a*) Vide §. 29. n. I.

(*b*) Obſ. med. L. 3. P. I. Obſ. 99.

(*c*) Erzæhlungen merkwürdiger krankengeſchichte 6te Krankengeſchichte p. 32. ſqq.

rum, obeſa, carnoſaque, et admodum cholerica, quæ a teneris hæreditaria ex labe doloribus artuum obnoxia A. 1763 poſt multam iram in febrem bilioſam lapſa, eandem in triennium poſtea continenter circa idem ſemper tempus per 2. 3. hebdomades experiebatur; qua A. 1767 non amplius reverſa, veteres illi dolores magis, jam crura et coxam, jam brachia, caput, dentes, auresve infeſtabant, ac plerumque ab ira vel perfrigeratione occaſionem per artus vagandi nanciſcebantur. His autem, quod agilis bene appeteret dormiretque, nil remediorum opponebat, niſi ubi gravius tumultuarentur; tum enim ſuffumigiis e ſaccharo et ſtercore catti, doſique theriacæ Venetæ ſumpta, movendo ſudores malum pro tempore profligabat. Status hic biennio duravit adeo, ut felicem ſe reputarit ægra, ſi quandoque 4 hebdomades omni dolore immunis transigeret. A. 1769 ſaniſſima vixit, licet ſolito magis et animi motus et perfrigerationes experta fuerit. At principio Januarii 1770 vehementi lumborum dolore prehenſa eſt; qui ubi poſt magnum terrorem iramque conquieviſſet, nocte 16 Januarii ſequente tam vehementem ſtomachi preſſionem nacta eſt, ac ſi gravis lapis in eodem contineretur,

tanto cum dolore ſpaſmodico, ut ſudores frigidos eliceret cum inſtantibus animi deliquiis; donec remittente dolore egreſſis poſt borborygmos numeroſis flatibus paroxyſmus hora 3ª matutina finitus eſt: quem toto deinde anno, ſemel ut minimum quavis hebdomade patiebatur, plerumque 12ª noctis ingruentem, ac 3ª matutina vel vomitu mucoſo bilioſo vel multorum flatuum ſeceſſu terminari ſolitum. Ructus, utcumque multi, nunquam levabant, ne dum ullum ſolvebant inſultum, ſed poſtero die ſupererant tormina, alvus obſtructa, nauſeaque, verbo ſenſibilis ægritudo. Poſt varia in et externa fruſtra adhibita ventriculi ſpaſmus nihilominus duravit ad 4am usque Aprilis 1771, cujus nocte deſiit. Poſtero autem die color cutis et albugineæ oculorum citra manifeſtam cauſam flaveſcens apparuit, et 7 Aprilis icterus totum infecit corpus, ſtercore facto albo, urinaque flammea cum aurei coloris ſpuma. Non multo autem poſt flavedo cutis abiit in colorem e nigro fuſcum, urina atramenti ſimilis evaſit, mulier querebatur de ſpiratione brevi, gravitate ac laſſitudine corporis, ſpaſmis doloribusque abdominis, et anorexia; verbo icterus niger præſto erat. Opti-

mis tamen efficaciſſimisque remediis malum ceſſit, ægra ad octiduum vehementiſſime ſudabat (unde induſiis lectique linteis color profunde flavus conciliabatur) cum omnium ſymptomatum levamine, ita ut cute, lotio, fecibusque ad priſtinum ſenſim colorem reverſis ægra cum ab ictero tum 5 anni cardialgia convaluerit. Abhinc vero ſic ſatis ſana vixit, nec niſi rarius priſtinorum ſuorum rheumatum dolorumque aliquid perpetiebatur. Sed enim vero non ſemper icterus cardialgiæ ſuccedens recidivæ promittit immunitatem; ſunt, queis utrumque ſæpius experiri contigit. Sic cum F. E. BRÜCKMANNI *(a)* Paſtorem 53 annorum, hæmorrhoidarium, noctu cardialgia ſodæ juncta invaſiſſet, ſpirituoſisque fugata eſſet, e veſtigio ſupervenit icterus. Hocce vero diaphoreticis depulſo iterum cardialgia renata eſt cum ſummis anxietatibus et alvo clauſa. Datum emeticum ob vehementem vacuationem cauſavit ſyncopen; ac poſtea rurſus emicuit icterus in 7 hebdomades, etiam ſub legitimo remediorum uſu, durans. Tandem cum largam narium hæmorrhagiam ſub illo ortam balnea-

(a) Commerc. Nor. T. 9. A. 1739. hebd. 44. p. 345.

tor aqua frigida fronti ſcrotoque admota, aliisque compeſcuiſſet, acceſſit narium obſtructio, febris, delirium, ac ſoda tam vehemens, ut minimum quid fluidi hauriendo æger ignem ſe in ſtomacho habere clamaret. Supervenit demum coma, inquies, anxietas, ſenſuumque omnium abolitio. Tum vero præter antiictericа etiam latum veſicans nuchæ admotum eſt, a quo et mens rediit, et icterus ſenſim diſparuit, cute corporis ſquamatim decedente, ſimulque per 14 dies pus ex aure læva fluxit. Unde æger prorſus convaluit, niſi quod ſcroti frigus quereretur, crebriori vini fotui etiam cedens. Perinde D. SCHUSTERI (*a*) mulier 30 annorum, ſextum gravida in bimeſtre, 3° poſt gravem lapſum ac vehementem animi motum die incidit in æſtum, quem largus excepit ſudor, cum nocte inquieta, ſiti, anxietate, cardialgia, cutisque præſertim in artubus pruritu, et lotio icterico multo cum ſedimento. Acceſſit tuſſis ferina ſicca. Data temperantia, eccoprotica, leniaque diuretica malum ſuſtulere. Sed poſt 4 hebdomades ira mota cardialgiam revocavit vehementem usque ad ſyncopen, quam rurſus tem-

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 7. Obſ. 50.

perantia cum caſtoreo depulere, poſtero tamen die ictero faciem fœdante, quem abſtergentium et ▽æ fol. ♀ri uſus brevi abolevit. Interea ab ira denuo concepta poſtero die cardialgia tertium rediit 9 horarum atrociſſima, cui rurſus altero die ſucceſſit faciei icterus, uſu antiſpaſmodicorum iterum intra paucos dies abactus, præſertim ſub alvo ſimul quotidie bis terve fluente. Abhinc vero iidem inſultus ob iram terroremve ſæpius revertebantur, 9. 12. horas durantes, ictero ſemper ſequenti die conſecuto, rurſumque ab alvo fluente mitigato, nec prius, quam a partu, deſiere, tametſi icterus in puerperio adhuc ſemel redierit adeo gravis, ut facies e flavo anviridescens nigricaret; ſed et hic demum conſuetis ceſſit remediis. Similem etiam hiſtoriam in monumenta medica intulit P. A. MICHELOTTUS (*a*).

3. *Febris* denique ſuperveniens etiam cardialgiam, præſertim ſi hæc ab illa perperam ſuppreſſa provenit, ſolvere eſt viſa, cujusmodi obſervationem apud F. HOFFMANNUM (*b*) reperire eſt.

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 4. Obſ. 88. p. 326.

(*b*) Diſſ. de imprud. medicat. multor. morbor. et mortis cauſa §. 51. Opp. Tom. 6. p. 306.

HISTORIÆ CARDIALGIÆ PARS II.

DE METHODO MEDENDI CARDIALGIÆ.

PROLEGOMENON.

SUMMA CARDIALGIÆ MEDENDI CAPITA.

§. 31.

Omnia præcipua cardialgiæ curandæ capita, haud ſecius ac aliis in morbis obtinet, ad tria reducuntur, quorum primum *indi-*

cans, alterum *indicatio*, tertium *indicatum*, conſtituit. Eſt vero in cardialgia

I. INDICANS ipſe ſtomachi dolor;

II. INDICATIO vero expoſcit, ut

1. *Cauſa* doloris deſtruatur, auferatur, aut ſaltem enervetur, idque pro ſui varietate.

2. *Dolor* præſens cum ſymptomatibus abigatur, ejusque reverſio ulterior præcaveatur: quod obtinetur, dum

a) *Irritans* ſtomachi nervos enervatur, deſtruitur, aufertur;

b) *Nervi* ſtomachi adverſus irritationem muniuntur, vel ſentiendi vis eorumdem obtunditur.

3. *Effectus* morbi (*a*) emerſuri præpediantur, præſentes tollantur.

III. INDICATA demum, quorum ope indicationibus modo dictis ſatis faciendum eſt, non omnia hujus loci ſunt, ea in primis, quæ cauſæ doloris tollendæ inſerviunt; iſta enim haud raro ſui generis morbus eſt, integram curationem exigens, v. c. ventriculi inflammatio, abſceſſus, ulcus, ſcirrhus, can-

---

(*a*) Vide §. 29.

cer, tumores ſtomacho vicini, calculi renum aut fellei, menſes ſuppreſſi, arthritis aut ſcabies retropulſa, &c. quorum utique ſimultaneam hic dare curationem nec rerum ordo nec prudentia patitur; novitque rationalis medicus ad utrumque tunc morbum curationem eſſe dirigendam. Iſthic ergo non alia indicata in medium erunt adferenda, quam quæ ad protopathicam cardialgiam profligandam pertinent; licet his ipſis non raro deuteropathica perinde ſuperetur.

SECTIO I.

REMEDIA PHARMACEUTICA.

CAPVT I.

EMETICA.

§. 32.

EMETICA Medici, quod ſpontaneo vomitu cardialgiam viderint curátam (*a*), naturæ ductum ſecuti non ſine optatiſſimo eventu ad eandem profligandam præbuere: imo tanta eſt interdum illorum neceſſitas, ut morbus nullis aliis, præterquam emeticis, remediis expugnari ſe ſe patiatur. Sic apud V. RIEDLINUM (*b*) monachus ad 40 annos natus ſubito gravativo ſtomachi dolore cum anorexia et nauſea correptus, variis ultra annum fruſtra uſurpatis, malo inde ne mitigato quidem, tandem emeticum ſumens excuſſa aſelli, quem ante initium morbi com-

(*a*) Vide §. 30. n. 1. a).

(*b*) Lin. med. ann. 3. Febr. 18. p. 113.

edit, particula adhuc integra convaluit. Perinde F. HILDANI (*a*) matrona ultra biennium cardialgiam nec ſtomachicis nec purgantibus cedentem paſſa, emetico ſumpto fruſtum corii lardi fumo ſiccati, quod ante biennium deglutiit, evomens curata fuit. Cum autem non ſine diſcrimine emetica in cardialgia, ut quæ etiam aliquando noxia eſſe poſſint, præbeantur; videnda ſunt illorum indicantia, cautelæ, et contraindicantia.

§. 33.

Indicant emetici neceſſitatem ſequentia: 1. *Cruditas ingeſtorum* in ſtomacho hærentium. C. PEZOLDI (*b*) ancilla poſt varios fœtores ſuſceptos, ac ſæpe olus et rapas copioſe ſumptas in pertinacem 12 hebdomadum cardialgiam cum cœliaca et ſapore cœparum in ore incidit; datis vero 🜿ri emet. gr. ijβ cum [illegible] ⊕, &c. quater multam ſaburram ad ſenſum frigidam evomens convaluit. V. RIEDLINI (*c*) „mercator cum oſtreas

(*a*) l. c. Cent. 4. Obſ. 33.
(*b*) Obſ. med. chirurg. ſelect. 36.
(*c*) l. c. ann. 1. Januar. 19. p. 22.

„ non ita recentes cum nauſea comediſſet, „ per 14 dies dolore ventriculi gravativo, „ laſſitudine totius, et tandem febrili inſultu „ detentus, vomitorio ſumpto, (convaluit) re- „ jectis adhuc integris his animalculis, cum . . „ alius quidam mercator ex illarum eſu vi- „ tam cum morte commutaſſet „. Alius (*a*) eſſedarius apud eundem 35 annorum cibis aliquoties plus juſto ingeſtis, et a balneo mox aeri ſe ſe exponens, cardialgiam contraxit, nec TR. bezoart. nec ſucco cydon. nec alexipharmacis domandam; excuſſa vero ope emetici copioſa ſaburra eodem die ſanus evaſit. Perinde E. HAGENDORNII (*b*) literatus comeſtis affatim in cœna murænis aceto pipereque conditis noctu immanem experiebatur cardialgiam, a qua ſumpto in aurora emetico, rejectis murænis, convaluit. Ita et P. FABRI (*c*) matrona ab eſu recentis molliſque caſei atrocem 15 dierum cardialgiam cum inappetentia, vigiliiſque, accedente demum etiam febre, extremorum frigore, tremore, et convulſionibus, ſumpta

---

(*a*) Curar. medic. millenar. n. 124.
(*b*) l. c. Cent. 2. hiſtor. 5.
(*c*) Inſign. curat. 38.

ſalis ⊖li ℥j ex ▽a ſalviæ, cum inter multa vomitu excreta caſeum quoque rejeciſſet, convaluit, reliquiis doloris ▽a cinnamomi ſublatis. DE LA METRIE (*a*) refert puerperam 4° a partu die ex indigeſtione in cardialgiam intolerabilem prolapſam gr. jv. ♀ri emetici convaluiſſe; et poſt 14 dies morbum ab eadem iterum cauſa renatum eidem rurſum remedio ceſſiſſe; quem data initio calida remedia exaſperarunt. Huc etiam PAULLINI (*b*) puellam, militemque BUISSIERII (*c*) referre oportet.

2. *Acria ingeſta* titulo remedii, veneni, &c. quæ niſi cito iterum excutiantur vomitu, peſſimos quosque effectus præter cardialgiam in ſtomachum et univerſum inde corpus exercere poſſent, ut eſt inflammatio, eroſio, convulſiones, &c. Ita E. GOCKELII (*d*) ſartor ab epota in cerevifia unguium raſura tanta cardialgia cum anxietate prehenſus eſt, ut ſe præ inquietudine huc illuc jactans ac in altum movens mortem expeteret.

(*a*) Obſ. de Medec. pratique 63. p. 111.
(*b*) Vide §. 18. n. 1. a).
(*c*) Ibidem.
(*d*) Gallicin. med. pract. Cent. 2. conſil. 22.

Verum data primum ſyrupi emetici ℥j, dein poſt vomitiones theriacæ ANDROM. ʒj cum Philon. Rom. ℈j, et admoto nervino ſcuto ſtomachico, ſanatus eſt. Simili ratione duo apud P. FORESTUM (*a*) ab eſu paſtilli venenati cardialgiam cum viridi urina paſſi uſu emetici ac pinguium, dein vero theriacæ, cito evaſere.

3. *Colluvies* pravorum humorum, qua acrium qua lentorum, ſtomachum gravantium vellicantiumve, ut ſunt calculi in ventriculo (*b*), ſaburra mucoſa aut bilioſa, ſanguis coactus, &c. in cachecticis, febricitantibus, iracundis, &c. „ Non rarum, inquit F. HOFFMANNUS (*c*), nec inſolens „ quoque eſt, poſt 3nam anxium circa præcordia dolorem cum inſigni virium languore, ciborum faſtidio, oris ſiccitate, et „ animi leviuſcula defectione, lentoque calore interdum obſervari, quæ cuncta mala a bile acri et vitioſa copioſius in duodeno, ſi virtus ejus motrix periſtaltica ſub „ morbo valde fracta fuerit, coacervata diu-

(*a*) l. c. Obſ. 28.

(*b*) Vide §. 21.

(*c*) Med. rat. ſyſt. l. c. curationis §. 4.

„ tiusque ſtagnante produci, exinde demum intelleximus, dum leni emetico, v. g. uno alterove gr. ♀ri emetici cum ſ. q. ▽æ dato, effuſa magna ſaburra, conquieviſſe protinus hæc omnia mala vidimus. „ Referri huc optima ratione HIPPOCRATIS „ aph. 17. ſect. 4. meretur, qui non febricitanti, ubi cibi faſtidium, cordis dolor, „ vertigo tenebricoſa, et oris amaritudo, „ purgatione per ſuperiora opus eſſe ſignificat „. Imo vero in ipſis etiam febricitantibus res feliciter cedit; AMATI (*a*) matrona 40 annorum, febricitans, anxia, inquieta, graviſſimamque cardialgiam queſta, rejecta ab exhibito emetico multa bile praſſina, uti et ab affatim hauſta ob ſitim frigida, reſiduo ejus ope cathartici ſæpius dati educto, 40mo morbi die convaluit. Haud ſecius cachecticis cardialgia a collecta bilioſa lenta illuvie oboriri conſuevit, qua per emeſin excuſſa dolor conquieſcit. P. FABER (*b*) meminit puellæ 25 annorum, pallidæ, quæ parce menſtruans, incidit in anorexiam cum cardialgia diu noctuque cum ante tum poſt

(*a*) l. c. Cent. 1. curat. 72.
(*b*) l. c. curat. 78.

paſtum vexante, a qua, ſumpta e jure ſalis ⊖li ℥j, ubi copioſam viridem amaramque bilem vomuiſſet, ac per 6 dies dejeciſſet, prorſus convaluit. Porro quoniam cardialgia ab ira nata haud raro pro cauſa bilem in ſtomachum ac duodenum uberius prolectam, et forſan etiam alteratam, agnoſcit, emetica in hoc perinde caſu ſunt proficua. V. RIEDLINUS (*a*) ancillæ cardialgiam cum viribus proſtratis ab ira paſſæ vomitu alvoque ab emetico dato motis, ſubjunctoque mithridatii DAMOCR. uſu, ſanitatem reſtituit. Eodem ſe modo res habet in cardialgia a pituita lenta, tenaci, quandoque etiam vitrea, oriunda. Apud AMATUM (*b*) Abbas quidam graviſſima cardialgia laborans, poſt multa in caſſum uſurpata, emetico ex helleboro ſumpto, ubi albumini ovi ſimilia vomuit, illico liberatus eſt. Inſigne hanc in rem exemplum narrat S. PYE (*c*) de muliere ad 40 annos habente, quæ a 6 annis a pra-

(*a*) l. c. n. 532.
(*b*) l. c. curat. 73.
(*c*) Medic. Bemerk. u. Unterſuch. einer Geſellſch. von Aerzten in London 1 Band n. 21. caſ. 1. p. 223.

va corporis conſtitutione, inſignique ſtomachi et inteſtinorum debilitate cum ſenſu ponderis ventriculum gravantis et anorexia multum patiebatur, ac ſi quid etiam comederet, plerumque alimentorum partem revomebat; vago præterea dolore jam lateris jam humeri vexabatur. Fruſtra variis toto ſexennio in uſum vocatis, demum ab accito Cl. Auctore ob manifeſta colluviei pravæ indicia datum doſi refractiore emeticum (ægra enim ab emeticis abhorrebat):

℞. ♁ rad. Ypecac. gr. ij.
▽æ lact. alex. ℥ß.
Syr. violar. ℥j.

Unde bis magnam pituitæ lentæ viſcidæ vim vomuit cum levamine; ſenſus ponderis in ventriculo multum imminutus, viresque usque adeo erectæ fuere, ut ægra ipſa duplam emetici iterandi doſin expoſceret. Sub alvo fluente 6ta quavis hora ſequentem capiebat bolum:

℞. ♁ rhei gr. iij.
Teſt. oſtreor. ppt. ℈ß
Spec. diambr. ſ. o. gr. vj.
Syr. croc. q. ſ.

Ab his remediis 15 dejectiones habuit, cum virium incremento. Poſtero die cum hau-

ſtus emeticus tum boli cathartici iterati; ab his 12 dejectiones, ab illo tres mucoſæ vomitiones, conſecutæ. Die 3° utrumque vacuans, ut ante, ſumptum eandem fere muci copiam evexit, 4 vomitibus et 8 dejectionibus inde ſecutis. Die 4° emeticum quater ſubverſo ſtomacho parum admodum muci, at multa cum bile, elicuit. Senſus ponderis in ſtomacho, vagique lateris ac humeri dolores, deſierunt; dejectiones factæ rariores, ſine ullis torminibus. Idcirco nil aliud remediorum datum præter ſequentem bolum quater in dies per 4 dies, uſurpandum:

℞. Teſt. oſtreor. ppt. ℈j
Cret. alb. ppt.
Spec. diamb. ſ. o. aa gr. v.
Syr. croc. q. ſ.

Inde ægra in multos menſes ab omnibus ſuis moleſtiis libera vixit; et ſiquando longiori poſt tempore aliquid priſtinorum incommodorum revertebatur, binis emeticis hauſtibus illud continuo iterum profligabat mulier. Neque etiam minus emetica proficiunt, ubi ſanguis in ventriculo coactus ejus dolorem cauſat, quo pertinet caſus D. PANAROLI (*a*),

(*a*) Obſ. medic. Pentec. 5. Obſ. 11.

male pro ſtomachi mola habitus, nempe vir 37 annorum, habitus melancholici, a ſuppreſſis hæmorrhoidibus hæmatemeſin aliquoties expertus, acerba cardialgia, paregorica eludente, affligebatur. Dato helleborato emetico ſanguinem atrum ad heminam dejecit, ac molam carneam, damaſcenum magnam, ponderis ℥ij, colorisque hepatici, vomitu excrevit.

4. *Inſecta* denique in ſtomacho latentia. Sic AMATI (*a*) juvenis 25 annorum, bilioſus, vigente canicula octiduum laſſus capiteque dolens cum quadam febricula, ſumpto cathartico poſtridie pungentem cardialgiam interpellatim pati cœpit cum teneſmo vomituritioneque fere continua, nil niſi ructus elidente, ac tanta etiam anguſtia, ut plerumque lipothymiam experiretur. Detractis e brachio ſanguinis ℥v omnia mala increvere: donec tandem leni emetico dato homo copioſe vomens vivum quoque rejeciſſet lumbricum; quo excuſſo omnia ſymptomata deſiere, ægerque paucis abhinc uſurpatis convaluit. „ Quidam faber lignarius, „ refert A. BENIVENIUS (*b*), annum agens

(*a*) l. c. Cent. 3. curat. 20.

(*b*) l. c. Cap. 2.

„ quadrageſimum, cum a cordis dolore fere
„ perpetuo duobus jam annis graviter urge-
„ retur, ac propterea quod eo ſæpius in
„ mortis diſcrimen adductus fuerat, peritiſ-
„ ſimos quosque. . . ſed fruſtra conſuluiſſet,
„ tandem ad nos venit. . . Opinanti igitur
„ mihi, malignam aliquam et noxiam mate-
„ riam in ventriculo detineri, . . . medica-
„ mento vomitionem fieri jubeo. Eo etſi
„ corrupta et putrens materia expellitur,
„ non tamen dolor remittitur. Conſulo
„ igitur, ut iterum vomitum experiatur,
„ quem nihilo ſecius una intermiſſa die-
„ cula validiorem exhibeo; expulſaque eo
„ eſt craſſior pituita, et cum ea vermis lon-
„ gitudinis digitorum 4, ſatis plenior, ca-
„ pite rubro, levi, rotundoque, quod piſi
„ magnitudinem non excederet, cetero cor-
„ pore lanugine quadam contecto, cauda
„ furcata ad ſimilitudinem novæ lunæ, pedi-
„ bus nixus 4, duobus in dexteriorem, to-
„ tidem in ſiniſteriorem partem, coaptatis...
„ Ut primum vermem ipſum evomuit, ad
„ priſtinam reverſus eſt ſanitatem „. Apud
„ P. BORELLUM (*a*) uxor . . . nobilis Aqui-
„ tani diuturno ſtomachi dolore detenta

(*a*) Hiſtor. et obſerv. med. phyſ. Cent. 1. Obſ. 9.

„ nullis remediis unquam levari potuit: tan„ dem vomitu provocato piſcem vivum, 6 „ digitos longum, evomuit „. Credit Auctor eum adhuc minutulum cum aqua hauſtum in ſtomacho dein cepiſſe incrementa. Conjecturæ huic non usque adeo inani favet præſertim et HILDANI (*a*) juvenis, et ſequens T. ZUINGERI (*b*) hiſtoria: „ J. U. „ GERNLERUS molitor Baſil. diu ſanus et „ incolumis vixit; tandem vero cum A. „ 1712 enteroceles malo per felicem caſtra„ tionis ſucceſſum liberatus, poſteaque ad „ extremam paupertatem redactus eſſet, „ pravo ſemper victu nutriri coactus fuit: „ unde paulatim cacochymiam ſalſam, tan„ demque ſimul fœdam ſcabiem contraxit, „ a qua per inſequentem hyemem usque ad „ æſtivum A. 1714 tempus maxime vexatus „ Badam Helvetiorum conceſſit, ſulphureis „ ibidem thermis ad ſui morbi curationem „ uſurus; hoc autem in itinere pedeſtri per „ æſtuantem aerem inſtituto ſiticuloſus ſæ„ pe factus obvias qualeſcunque aquas, quas „ quidem limpidas clarasque offendit, puta-

(*a*) Vide §. 30. n. 1. a).

(*b*) Miſc. nat. cur. Cent. 7. Obſ. 25.

„ vitque, avide hauſit; hincque abſoluto
„ feliciter uſu thermarum ſcabiem omnem
„ amiſit, domumque incolumis ſibi viſus re-
„ diens variis operibus manualibus melio-
„ rem ſibi victum comparare ſtuduit. Sed
„ tum non longo temporis interjecto ſpatio
„ quemdam morſicationis vel lancinantis
„ doloris ſenſum in regione ſtomachi per-
„ ſentire cœpit, mutabilem illum, atque
„ nunc intenſius nunc remiſſius affligentem.
„ Dolor vero iſte intra 5 vel 6 menſes,
„ non obſtante variorum remediorum, pur-
„ gantium et euporiſtorum, uſu, ſenſim
„ adeo increvit, et auctus eſt, ut ſæpe æger
„ præ illius acerbitate totas noctes ejulare
„ cogeretur, fermeque in convulſiones inci-
„ deret. In hoc itaque miſerabili ſtatu omnia,
„ quæcunque liberalium hominum miſericor-
„ dia ſuppeditavit, irrita ac inefficacia pla-
„ ne deprehendens meum conſilium implo-
„ ravit, ſuamque, qua miſere torquebatur,
„ cardialgiam ita expoſuit, ut diceret ſibi
„ aliquid præcordia ſubinde per longum
„ tempus, inprimis autem noctu, dum ven-
„ triculus eſſet jejunus, ineffabili cum cru-
„ ciatu ita mordere et lancinare, ut quo ſe
„ verteret, plane neſciret: hinc appetitu

„ utcunque adhuc integro manente ſenſim
„ emaciatus enixe a me petiit, obſecravit,
„ ut vehemens quoddam emeticum ſibi ordi-
„ narem, cujus ope lancinans illa tam hor-
„ rendorum cruciatuum cauſa loco moveri
„ vel deſtrui plane poſſet. Ut ut igitur homi-
„ nem ſatis adhuc robuſtum, omnique febre
„ immunem notarem, ac nullum prorſus tu-
„ moris vel inflammationis veſtigium in re-
„ gione ſtomachi deprehenderem, non ta-
„ men niſi ſequentem potiunculam emeti-
„ cam ſub ordinaria doſi primum ordinavi,
„ viſurus, quam illa operationem præſtitura
„ foret:

℞. Oxyſacch. emet. D. LUDOV. ℥β
▽æ Gramin ℥iij
Cinnam.
Syr. Cort. ☉ aa ℥j. M. D. ad vitr.

„ pro doſi matutina. Hoc remedium cum
„ poſtridie aſſumpſiſſet, ac intra trihorii ſpa-
„ tium nullum plane effectum ex illo ſenſiſ-
„ ſet, protinus ad me excurrit, cruciatus
„ ſuos indeſinentes cum inani vomendi de-
„ ſiderio enarrat, fortiusque longe purgans
„ ſibi ordinandum expoſtulat. Itaque ver-
„ mes in ſtomacho quosdam latentes ſuſpi-
„ cans, prece deſperantis fere hominis vi-

„ ctus ſequentem pulverem emeticum mox
„ aſſumendum præſcripſi:

℞. Crem. ♀ˡⁱ ℈j
☿ⁱⁱ dulc. opt. ℈β
⊖ Juniper. gr. vj
♀ʳⁱ emet. gr. ijβ
☍ ſtill. macis gtt. ij. M. F. ♁ ſubt.

„ D. . . . cum hauſtu alicujus juſculi deglu-
„ tiendus. Dum in officina hinc pharmaceuti-
„ ca eſſet pulveris hujus præparationem ex-
„ ſpectans, male habere, humi ſe ſe proſter-
„ nere; et animo ſere delinquere cœpit,
„ ſed hauſtis mox a pharmacopœo exhibi-
„ tis aliquot ▽æ cardiacæ officinalis coch-
„ learibus ad ſe rediens magno cum angore
„ copiam materiæ pituitoſo-mucoſæ cum
„ ſanguinis floridi ac ſinceri libra propemo-
„ dum integra, ut et hirudine adhuc tantil-
„ lum vivente, in conſpectu pharmacopœi,
„ aliquot conatibus evomuit, ac ſtatim me-
„ lius habuit, domumque una cum cardia-
„ co et præparato pulvere emetico repetiit,
„ quem dein non obſtante prioris operatio-
„ ne deglutiit, unde plures adhuc magna
„ cum vehementia vomitus ſubſecuti fue-
„ runt, quibus non ſolum mucum, bilem,
„ ſanguinem, et juſcula hauſta, ſed 4 ad-

„ huc hirudines alias excrevit, quarum ma-
„ xima indicis digiti craſſitiem propemodum
„ æquavit, longitudinem vero ſuperavit,
„ reliquæ tantillum minores, omnes vero
„ ſanguine e venis ſtomachicis ſucto turgi-
„ dæ fuerunt. A quibus vermibus liberatus
„ æger omnem mox ſtomachi roſionem et
„ cardialgiam amiſit, ſibique in integrum re-
„ ſtitutus eſt viſus, excepta membrorum laſ-
„ ſitudine, viriumque imbecillitate, quas
„ tamen poſtea ſubminiſtrato hinc inde me-
„ liorum ciborum uſu paulatim integras re-
„ cuperavit, atque hauſto ſimul per plures
„ dies herbarum traumaticarum infuſo lace-
„ ratas in ſtomacho venas conſolidavit, ita
„ ut ab eo tempore in hunc usque diem in-
„ columis vixerit „.

§. 34.

Cautelæ porro, ſub emeticorum exhibitione haud negligendæ, ſunt

1. *Selectus* emeticorum ad obtinendum ſcopum idoneorum; haud enim perinde eſt ſemper, *mitiorane an valentiora* præbeantur: quandoquidem alias emetica mitia omnem abſolvunt paginam, alias vero fru-

ſtra iisdem oppugnatur morbus. Mitiſſima ſane ſuffecere mulieri apud PYE (*a*): ſecuritatis itaque cauſa ſemper initio leniora pertentare oportet; queis ſi nihil profectum fuerit, ad valentiora, modo vomitu opus eſſe certo conſtet, tranſire licebit. Etenim interdum accidit, ut leniora emetica imparia ſint rebus indigeſtilibus, quæ ſtomachi plagam, cui inhærent, gravando impediunt, quo minus ſe ſe contrahere, illasque loco motas excutere, valeant, eliminandis, velut in GRONERI (*b*) virgine, WOLFFIIque (*c*) ruſtico; vel contenta ventriculi ita natura comparata ſunt, ut validiſſima tantum ſtomachi contractione exturbari queant, velut in fabro lignario BENIVENII (*d*) eſt obſervatum: hinc valentiora emetica ejusmodi in caſibus locum habent, id quod ſequens etiam F. PLATERI (*e*) confirmat caſus: „ cuidam feminæ (ait ille) de dolore ſtoma- „ chi cum nauſea ac difficultate aliqua de-

(*a*) Vide §. præc. n. 3.
(*b*) Vide §. 34. n. 2.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Vide §. præc. n. 4.
(*e*) l. c. p. 420.

„ glutiendi, ac ſi buccella in faucibus hære-
„ ret, jam longo tempore conquerenti, cum
„ ſæpe varia atque inter reliqua etiam vo-
„ mitoria exhibita nihil effeciſſent, illaque
„ unice vomere cuperet, et adhuc robuſta
„ eſſet, dedi aquam deſtillatam ex nucibus
„ viridibus cum raphano prius in aceto ma-
„ ceratis . . . ſed . . . nihil effecerat; ita-
„ que addidi vini albi, in cujus ℥ij ſtibii vi-
„ treati pul. gr. iij macerata per noctem fue-
„ rant, ℥jß, ut biberet. Quo facto copio-
„ ſiſſimam materiam quinquies evomuit, et
„ poſtea ab ejusmodi cardialgia et impedi-
„ mento in faucibus penitus liberata eſt „.

2. *Iteratio* quoque emeticorum haud raro eſt neceſſaria, ſi morbi cauſa vel partitim tantum educi poteſt, ut in muliere apud PYE (*a*) et molitore ZUINGERI (*b*), vel iteratis non niſi ſtomachi conatibus loco, cui pertinacius adhæret, moveri poteſt. Bina id luculenta evincunt exempla. Narrat nempe A. J. GRONER (*c*) virginem 26 annorum,

(*a*) Vide §. 33. n. 3.
(*b*) Ibidem n. 4.
(*c*) Commerc. Nor. T. 3. A. 1733. hebd. 24. p. 189.

chloroticam, parceque menſtruatam, a biennio anorexiam et gravativum ſtomachi dolorem paſſam, variis in caſſum ſumptis, tandem poſt largum octidui mane ac veſpere digeſtivorum uſum emeticum ſumpſiſſe, at ſine levamine. Præmiſſis vero denuo digeſtivis valentius deinde emeticum datum, a quo poſt 30 et amplius vomitus dejectionesque dolor auctus cauſavit ſyncopen; exhibita vero ▽ª Reg. Hung. vomitus vehementior ſecutus eſt: cumque jus calidum cum butyro recenti inſulſo hauſtum continuo etiam rejeciſſet, vomuit demum mucum cum numeroſis ceraſorum ante biennium comeſtorum fruſtis, etiam tum adeo recentibus, ac ſi decerpta primum fuiſſent (ita illa mucus incruſtans conſervavit!): quo facto virgo convaluit. Porro ruſticus C. S. WOLFFII (*a*) ſitim noctu in vinea levaturus, ceraſa cum nucleis comedens, paulo poſt gravativum, dein vero atrociſſimum ſtomachi dolorem ſenſit, qui fruſtra variis tentatis hominem curvavit, resque ita 3ᵘᵐ in annum eſt extracta: donec a medicaſtra 3 doſes emetici

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 31. A. 1725. Januar. Cl. 4. art. 12. p. 77. ſq.

pro triduo accepiſſet. Doſi 3ª ſumpta evomuit 65 nucleos ceraſorum; priſtinamque ſic recuperavit ſanitatem.

3. *Paregorica* poſt exhibitionem emeticorum in cardialgia præſertim ſubjungere neceſſe eſt, in qua non emetica tantum, ſed ipſa etiam cauſa morbi emeticis expellenda, ſtomachum laceſſendo labem poſt ſe in eodem relinquere poſſunt, ad alias poſtmodo turbas excitandas idoneam, ni paregoricis tempeſtive ſubjunctis illa abolita iſtæ præpediantur. Sæpe etiam doloris adhuc reliquiis paregorica ſubjuncta optime viſa ſunt mederi; quemadmodum hæc e caſibus in FORESTI (*a*) ægris, GOCKELII (*b*) ſartore, et ancilla RIEDLINI (*c*), colligere eſt.

§. 35.

Contraindicant autem emeticorum uſum ii univerſim caſus, ubi aut in ſtomachi cavo nulla morbi cauſa latet, aut ſi in hoc vel ſubſtantia ventriculi reperitur, illorum actio-

(*a*) Vide §. 33. n. 2.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ibidem n. 3.

ne malum redderetur deterius. Unde vetant emetica præberi

1. *Vulnerantia* in ſtomachum delata, ut acus, acies ſcindentes, &c. quæ ſub ſpaſmodica ſtomachi contractione illius in ſubſtantiam non ſine vulnere adiguntur, ſicque inflamationem in ſuppurationem gangrænamve abituram ex facili cauſare valent. Feliciter quidem emeticum ceſſit miniſtræ apud E. HAGENDORNIUM (*a*) atrocem ac ſuffocantem ab acu deglutita cardialgiam perpetienti, quam ſumpto ♀ro emetico ex ▽a calida pingui revomuit; ſed exemplum hoc nullatenus eſt imitandum; niſi tum fortaſſis, dum ingeſta prius braſſica conciſa ſpes eſt fore, ut acus ejus ſegmentis infixa ope ſubjuncti emetici ſine noxa una cum braſſica excuti poſſit.

2. *Tumores* ventriculi aut vicinorum inflammatorii, ſcirrhoſi, ulceroſive, quos emetica exaſperant, dolores atrociores cauſant, periculumque accerſunt.

3. *Cardialgia a calculis* renalibus aut veſiculæ felleæ, ad quos tollendos emetica nil poſſunt.

(*a*) l. c. Cent. 1. hiſtor. 81.

4. *Spaſmi hyſterici* vel *hypochondriaci*, iisque analogi, ſtomachum invadentes, ſine materia in eodem contenta. Quantum enim hujusmodi in caſibus detrimenti emetica inferre ſoleant, e praxi abunde liquet. Narrat V. RIEDLINUS (*a*) pharmacopœum uxori ſuæ 30 annis majori, habitus tenerioris, cum poſt ſingulorum catameniorum profuſionem uberiorem in gravativum ſtomachi dolorem incidiſſet, exhibuiſſe ♁ ri emetici gr. jv. a queis cato anoque ſecutæ inſignes vacuationes; quas licet bucella panis in 🜄 intincta ſemel iterumque ſumpta compeſcuit, cardialgiæ tamen pergenti acceſſit vehemens cephalalgia, plenaque anorexia, quæ mulierem clinicam effecere. Interea notatu prorſus dignum eſt, feminis ab uteri hæmorrhagiis dolores ſpaſmodicos patientibus, dum alia quæque emetica eas lædunt, Ypecacuanhæ uſum feliciter cedere. S. PYE (*b*) curandam habuit pharmacopœi uxorem, quæ poſt abortum in vehementem incidit multarum hebdomadum cardialgiam cum vomitu quorumvis ſemper ingeſtorum, continuaque

---

(*a*) Curar. medic. millenar. n. 231.

(*b*) l. c. Caſu 3. p. 246. 243.

diarrhœa. Poſt fruſtraneum variorum remediorum uſum, tandem dabantur per 4 dies Ypecacuanhæ primo biduo gr. iij, die 3° gr. ij, die 4° gr. jß, a queis primo triduo quotidie 12 vomitiones, die 4° autem 8, procuratæ mulierem ad priſtinam revocarunt ſanitatem. Imo etiam ea doſi, ut nauſeas tantummodo creet, datum hoc remedium perinde profuiſſe eſt obſervatum. „ Summam „ autem meam, inquit C. F. MICHAELIS (*a*), „ in hoc remedium attentionem convertit „ caſus feminæ hyſtericæ, cui cum poſt ni- „ mium ſanguinis ex utero profluvium gra- „ viſſimis ſpaſticis varii generis affectionibus „ laboraret, omniaque, quæ anodynorum „ claſſis ſubminiſtrat auxilia, opium, mo- „ ſchum, aſam fœtidam, &c. irrito, imo „ ſine ulla levaminis ſpecie, tentaſſet, tan- „ dem in graviſſimo aliquo cardialgiæ inſul- „ tu ypecacuanham exhibui: tam celer hic „ erat ac eximius divini remedii effectus, „ ut poſt primum jam ℨ^em, qui ſemigra- „ num ypecacuanhæ continebat, breviſſimo „ ſemiquadrantis horæ tempore omnis do- „ lor evaneſceret „. Nocent porro etiam

(*a*) De angina polypoſa ſect. 6. p. 241.

emetica in cardialgia poſt excandeſcentiam oborta, tum videlicet, dum hæc non tam a bile per iram commota (*a*), quam a turbis gravioribus nervoſi ſyſtematis, præſertim in hyſtericis hypochondriacisque ſine materia, excitatur. Curandus obtigit v. RIEDLINO (*b*) vir, qui a neſcio quo morbo ſemel emetico liberatus, dum denuo e cardialgia cum anorexia et anxietate, iram conſecuta, ægrotaret, bilioſumque lotium redderet, priſtinum ab Auctore petiit emeticum. Dedit is hauſtum emetico-catharticum probe operantem; ſed omnia inde ſymptomata increvere, ſola urina emendata. Cum febris abeſſet, acrimoniam nihilominus in ſtomacho latere arbitratus Auctor potiunculam ejus corrigendæ gratia dedit; ſed cardialgiæ inde ne imminutæ quidem acceſſit etiam febris cum delirio. Tum vero miſſis remediis colluviem bilioſam ſpectantibus data MR[a] paregorica cum elect. diaſcord. FRACAST. et ♁[c] alexiph. et ſomnum noctu, et mane poſtero ſanitatem jam reddidit, quam bidui dein uſus ſpecif. cach. LUDOV. confir-

(*b*) Vide §. 22.

(*b*) l. c. n. 261. p. 154. ſq.

mavit. Infelicior iſthoc fuit vir apud F. HOFFMANNUM (*a*) iræ impotens, qui poſt gravem bis excandeſcentiam artuum horrore frigoreque, tum atroci cardialgia cum ardore, morſu, anxietate, nauſea, et agrypnia correptus, poſt 24 h. ſumpſit ♀i emet. gr. iij ſine levamine, niſi quod pauxillum quid mucoſi virideſcentisque laborioſe et anxie vomuerit: data ideo nova emetici doſis morbum auxit; nullo namque ſecuto vomitu ructus continui convulſivi erumpebant: ac licet poſtea liquor anodynus ſymptomata pauliſper mitigarit, ſumpta tamen deinde ob alvum clauſam ſalis Epſom. ℥j morbum atrocius reſuſcitavit, ut æger die 3º ab emetico ſumpto interierit.

5. *Graviditas* ne emeticum vetat? Nullatenus, ſi non evitanda ejus dandi adſit neceſſitas; ſin vero ſaburra, colluvies, aliave ſtomachi contenta non adſint, omnia alia, quam emeſin, prius experiri oportet: ne abortus periculum accerſatur. Matrona apud S. PYE (*b*) 38 annos nata, et in 9um menſem utero gerens, jam inde a 5 hebdomadis

---

(*a*) Med. rat. ſyſt. l. c. Obſ. 9.
(*b*) l. c. caſu 7. p. 250. ſq. et 242.

vehementes continuosque ſtomachi et inteſtinorum dolores patiebatur cum vomitu bilioſo, diarrhœa, tenesmoque perpetuo, velut ad partum. Data per triduum alternis diebus ypecacuanhæ gr. ij, ubi 1° ac 2° die quatuor, 5° autem tres vomitus procuraſſent, cardialgiam ſuſtulere; diarrhœa quoque evaſit rarior: donec partu levata ægra paucis demum remediis convaluit.

CAPUT II.

CATHARTICA.

§. 36.

CATHARTICA quoque haud ſecius, ac emetica, in curatione cardialgiæ locum ſibi vindicant, habentque cum iſthis eadem indicantia, neceſſitatem, iterationem, præ primis ad reliquias morbi poſt emeſin ſuperſtites evehendas, uti et contraindicantia. Et ſane V. RIEDLIMUS (*a*) in puella 16 annorum ſubitam atrocemque cardialgiam cum nauſea artuumque convulſionibus, ter repetentem unico remedio cathartico depulit. Ex contraindicantibus autem cum ſingula hic perinde probe tenenda ſint, tum vel maxime cavendum, ne in hyſterica vel hypochondriaca corpora improvide catharticum ingeras. Funeſtum hujus commatis caſum refert A. C. LORRY (*b*): literato ad 70 annos nato, facultatum ſuarum aliquam jacturam ſæpius

(*a*) Obſerv. med. Cent. 3. Obſ. 25.
(*b*) l. c. p. 429.

perpeſſo, inter anxias dein curas ingrata ſubinde ſtomachi ſenſatione vexato, conſultus pharmacopola duas purgantis aloetici doſes non præparato corpore ſumendas præbet. Prima earum alvum non movit; ſed a prandio (largiori forte) corripitur per vices ſpaſtico inteſtinorum dolore, cujus impatiens alteram quoque purgantis doſin abligurit; qua vix ſtomacho recepta colicæ ſucceſſit in locum cephalalgia ſæviſſima, capillis iu vertice capitis horribili ſpectaculo (quod ſemel tantum in vita LORRY vidit) erectis. Abnormi ululatu æger mortem expetebat: donec hauſto oleo amygd. dulc. jure pullorum, emulſis, &c. fex compacta, globuloſa, nigra alvo eſt reddita. Tum dolor pauliſper remiſit, relicto poſt ſe delirio cum alvo contumaciter clauſa; ad quam ſolvendam ſi opera impenſa, æger bilem ſinceram rejiciebat, non niſi rariſſime nigros globulos excernens. Morbus duabus conſtabat periodis; in prima æger furebat cum ululatu, clamore, rugituque ferino; in altera obſcure rabidus delirabat cum pauco & confuſo murmure, vultu torvo, paſſisque capillis. Triennio inde poſt vivum hocce

ſceleton accenſa febre cum vomitu nigrorum intra triduum vivere deſiit.

§. 37.

Indicant itaque cathartici exhibitionem

1. *Ingeſta* acria, flatulenta, bilem moventia, emeticis non levantibus, ut ſunt potus fermenteſcentes, &c. Sic apud P. FORESTUM (*a*) chirurgus bibax a largo, diuturno, ac promiſcua vini rubri & cereviſiæ recentis cum zinzibere ſaccharoque potatione lapſa media nocte immanem ſenſit cardialgiam cum inquietudine, totiusque corporis concuſſione, ut morti vicinus crederetur. Mane crurum corporisque tremor adfuit, dolor perforans, urina cruda, nauſeæ ſine ſiti, potulentique vel gutta ſuffocationes gutturis ac ſtomachi cauſabat. Dato emetico cereviſiam evomuit ſine levamine; ſumpto autem cathartico cum et vomuiſſet, et affatim dejeciſſet, in ſomnum ac ſudorem lapſus, roborato deinde ſtomacho, convaluit. Similem pene etiam caſum refert FORESTUS (*b*) de aromatario, qui ad tormina diſcutienda

(*a*) l. c. Obſ. 21.
(*b*) Ibidem Obſ. 24.

hauſta plus quam ½ pinta vini Romani cum pulv. gran. paradiſi ℨij in crudeliſſimum incidit ſtomachi ventrisque dolorem, ita ut ignem ſe in ſtomacho habere arbitraretur: cumque nec vomere nec dejicere poſſet, præ anguſtia rumpi ſibi, ſuffocarique videbatur. Poto interea decocto hordei cum incoctis ſemin. anethi et ſyr. infuſ. roſ. tepido vomuit cum levamine. Secutus ſomnus. Poſt hunc ad reliquias doloris tollendas, alvumque reſerandam eccoproticum datum alvo quinquies mota hominem ſanavit.

2. *Cruditates* ex ingeſtis dyſpeptis ſeu ſua natura ſeu ob ſtomachi imbecillitatem. Sic FORESTI *(a)* puella egena, pituitoſa, e prava diæta cardialgiam cum quadam diſtentione, ſtomachique pondus, ac dyſpnœam, ſine ſiti, pati ſolita, cibis ad imum ventris delatis levius habebat, uti et a flatibus ructibusve eliſis. Fotus litusque nervinus ſtomachicus morbum lenivit, reliquias autem iteratum catharticum ſuſtulit, recidivamque ſtomachicorum uſus avertit. Eundem ſucceſſum res nacta eſt in juvene *(b)*, morbum

---

(*a*) Ibidem Obſ. 23.

(*b*) Ibidem Obſ. 27.

ab eadem indubie cauſa, nempe cruditatibus flatulentis perpeſſo. Idem etiam commodum a cathartico PLATERI (*a*) nobilis, cardialgiam ex ingeſtis perpeſſus, expertus eſt. Meminit etiam B. L. HYKELIUS (*b*) puellæ ſeptennis ex immoderato tartufflorum eſu cardialgiam cum alvi obſtructione ac vomitu paſſæ, quam poſt diluentia et incidentia ſubjunctum blandum catharticum et ſuppoſitorium ſuſtulit. Perinde caſum referr V. RIEDLINUS (*c*) matronæ cardialgiam gravativam ab aliquoties comeſtis fructibus horæis, præſertim vero ceraſis, nactæ, quæ neglecta primum cum per aliquot noctes poſt primum ſomnum, majori ſemper cum moleſtia, reſpirationemque impediens etiam, rediiſſet, ægra opem quæſivit. Datum purgans, a quo ſemel vomuit, ac ter dejecir: dein ſubjunctus pulv. ſtomach. BIRKM. cum ſpecif. cach. A queis ægra convaluir. Apud J. STORCHIUM (*d*) vir habitior poſt halecum eſum, ac bis deſuper ſumpſum elix. propr. ad ℨiij pro doſi,

(*a*) Vide §. 18. n. 4. b).

(*b*) Select. med. Francof. T. 4. Vol. 1. art. 4. p. 52.

(*c*) Curar. medic. millenar. n. 497.

(*d*) Obſ. clinic. ann. 8. Julii Cl. 4. p. 517.

incidit in ardorem ſtomachi torminoſum, a vino ſuperhauſto adauctum; a quo datis binis doſibus MRæ rhab. et ⊖ amar. ℥ß eſt liberatus.

3. *Colluvies* pravorum humorum primas vias inundantium, e morbis prægreſſis, animi pathematibus, ſpaſmisve hyſtericis, &c. collecta, aut ab operatione emeticorum adhuc reſidua. Sic P. FORESTI (*a*) cognata 30. annorum ſævam cardialgiam cum hypochondriorum ſuſpenſione, obſtructione alvi, et lotio aquoſo limpido, paſſa, cum alia non prodeſſent, cathartico ſumpto octies purgata in ſomnum, quo jam per 4. 5. nycthemera caruit, lapſa convaluit. Perinde V. RIEDLINI (*b*) viduæ 60 annis majori aliquoties cardialgiam tantam, ut vix ſpirare poſſet, expertæ poſt varia fruſtra uſurpata demum exhibiti primum bini pulveres, e pulvere ſtomach. BIRKM. et limat. ♂ conflati, dein catharticum ſubjunctum eſt, eo cum ſucceſſu, ut pulveres vix ſumpti dolorem leniverint, catharticum vero colluvie humorum educta eundem plane aboleverit. Idem

(*a*) l. c. Obſ. 22.
(*b*) l. c. n. 193.

Auctor (*a*) ancillam narrat in declinatione febris exanthematicæ partim neglectæ partim male tractatæ incidiſſe in moleſtum ſtomachi ardorem, alexipharmacis haud abolendum; quem tamen unicum catharticum ſuſtulit. Videtur omnino ſaburralis fuiſſe febris, quemadmodum apud A. HEIDE (*b*) „ virago quæ-„ dam correpta febre continua conqueritur „ de ſumma anxietate circa ſtomachum; di-„ verſis medicaminibus tum narcoticis tum „ purgantibus exhibitis in caſſum, tandem „ dedi 3. grana extracti colocynthidis cum „ 7 granis aloes: hoc aſſumpto ægra melius „ habere cœpit; licet tantum poſt aliquot „ horas dejiceret; et ſanitati reſtituta eſt „. Præſertim vero biliosa colluvies catharticorum expoſcit uſum, ope quorum ejus reliquiæ ab emeticis præmiſſis ſuperſtites evacuandæ reſtant, velut in muliere AMATI (*c*) ac PLATERI (*d*). Patricia vidimus. Interdum etiam prophylactico ſcopo ad colluviem bilioſam, ne uberior collecta cardialgiam

(*a*) Lin. med. ann. 3. Septembr. 27. p. 647.
(*b*) Obſ. med. 33.
(*c*) Vide §. 22.
(*d*) Vide §. 33. n. 3.

creet, identidem educendam ſunt perquam neceſſaria. Sic apud T. BONETUM (*a*) Helvetus ſexagenarius immani cardialgia terebrante aliquot annos vexatus, ſemper vomitu atræ bilis atramento ſimillimæ levabatur. Uſu crebriore deinde electuarii eccoprotici per bimeſtre a malo liber, cum iſto miſſo alia poſt: modo tentaſſet, malo reverſo intra triduum ſuccubuit. Neque minus ad pituitoſam colluviem everrendam utilia ſe ſe cathartica præbuere, ut in POTERII (*b*) viro nobili videbimus.

4. *Inſecta* primarum viarum, cardialgiam ſeu per conſenſum, ſeu ſtomachum ſubeundo, excitantia. Ita homo apud J. N. BINNINGERUM (*c*) pallidus, cacochymicus, ſexagenarius, triennio fere circa ventriculum dolore vexatus, hauſtu cathartico anthelmintico, ubi animalculum griſeum limaci vivo ſimile alvo excreviſſet, protinus convaluit. „ Nota et mihi, inquit R. DODO„ NAEUS (*d*), mulier fuit, ſupra 40 annos

(*a*) Sepulcr. anat. L. 3. S. 7. Obſ. 22.
(*b*) Vide §. 38.
(*c*) l. c. Cent. 5. Obſ. 63.
(*d*) Annot. ad A. BENIVEN. l. c. Cap. 85.

„ nata, quæ graviſſimis ventriculi dolori-
„ bus et nauſea ſubinde correpta ab aſſum-
„ pta hiera picra, 40 plus minus vermes
„ excrevit „. Perinde „ ingenti dolore in
„ ſtomachi regione vexabatur puer, narrat
„ ZACUTUS (*a*), ita ut ex intervallis voci-
„ ferans in magnum clamorem prorumperet.
„ Lumbricum ſuſpicatus, in vino hieram
„ cum corallina, dictamno, et ſcordio per-
„ mixtum exhibeo: ea aſſumpta mucoſam
„ excrevit pituitam una cum verme mortuo
„ nigerrimo dimidii palmi longitudine, me-
„ diocriter craſſo, toto corpore piloſo ni-
„ mis, capite lævi, cauda furcata; quo ex-
„ pulſo hilariter vixit „. Simili modo „ ru-
„ ſticus . . . plures conſuluerat medicos ob
„ cardialgiam et dolorem lancinantem circa
„ umbilicum. Tandem . . . S. LEDELIUS (*b*)
„ præſcribit evacuans in forma potulenta,
„ quod ex pharmacopolio illico ſecum aufert:
„ cumque altero lapide a civitate diſtaret,
„ moræ impatiens arripit vitrum, probeque
„ liquorem exhaurit, putans operationem
„ differri eousque, dum iter hocce eſſet

(*a*) Prax. med. admir. Lib. 2. Obſ. 31.
(*b*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 3. Obſ. 84.

„ emenſus; acriter itineri inſiſtit. Vires me-
„ dicamenti motu excitatæ operatione viato-
„ rem interturbant. In iſthac evacuatione
„ excluſit ſimul vermen bicipitem, digiti
„ longitudinis, horridioris adſpectus, quem
„ dum conſpicit in excrementis, pedem promo-
„ vet, hoſpitemque hunc dolorum ſuorum au-
„ torem laſſior quidem, ſed omnimode ſanus,
„ relinquit „. Ita etiam J. HELLWIGII (*a*)
„ femina quædam de ciborum faſtidio, ven-
„ triculi ac inteſtinorum corroſione ſæpius
„ querens, aſſumpto aliquando cathartico
„ lumbricum latum trium pluriumque ulna-
„ rum longitudine, ſed fruſtulatim, per ſe-
„ ceſſum in unico die excreverat; quoinde
„ ſymptomata etiam priora ceſſarunt, nec
„ ultra hactenus ſimile quid paſſa eſt. Lum-
„ brici forma erat quaſi cucurbitæ ſemina
„ plana, ſubflava, et invicem cohærentia „.
Plura huc ſpectantia inferius (*b*) etiam di-
centur.

5. *Metaſtaſes* ſani vel morboſi, quod energia cathartici ab ſtomacho avocatum vel evacuatur, vel ad conſueta loca determina-

(*a*) Obſerv. phyſ. med. 95. p. 279.
(*b*) Vide §. 40. ſq.

tur. Sic apud P. R. VICAT (*a*) „ plebeia „ cœlebs quinquagenaria paulo major ga- „ ſtrodynia, variis hyſteriæ ſymptomatibus „ ſtipata, ab aliquot annis laborabat, qui- „ bus conflictari cœperat paulo ante eman- „ ſionem catameniorum, qua 6 annis ſoli- „ tum terminum anticipaverat, poſt menſes „ admodum inordinate fluentes: inde ſym- „ tomata aucta huc usque ægram male ha- „ buerant. Quare . . . jubeo (inquit Au- „ ctor) præmittere purgationem ope pulve- „ ris purgantis tartariſati (*b*). Bene purga- „ ta, et inde non parum levata redit. Præ- „ ſcribo tunc uſum pulveris ſequentis:

℞. ♁ fl. chamom. Rom. ℥β
Rhei ʒj.
Aſæ fœt.
♀ri ⊖lati aa ʒβ. M. Div. in xij.

„ doſes horis ante cibum ſumendas, donec „ alvus reſpondeat; et interdum repetendas, „ ſuperpoto infuſo florum chamomillæ Ro- „ manæ frigido. Sic 26ª Maji (triduo ſc. „ poſt) jam multo melius ſe habet. Bis dein-

(*a*) Delect. obſ. pract. ex diar. clinic. Obſ. 30. p. 121.

(*b*) Quem deſcribit in obſ. 8va p. 43.

„ de renovati pulveris uſu continuato ita „ pergit reſtitui ſanitas, ut 15ª Junii mulie- „ rem ſatis bene ſe habentem invenerim „. Idem hic Auctor (*a*) cardialgiam a ſtruma reſoluta ortam unico eccoprotico pene ſuſtulit. Incomparabilis porro efficaciæ ſæpenumero ſunt cathartica in cardialgia ab arthritide et podagra retropulſa, quam ad conſueta loca revocando ſtomachi dolorem ſolvunt. Sic „ vidua quædam nobilis, inquit V. RIED- „ LINUS (*b*), quinquagenaria ferme, paren- „ tibus arthriticis genita, quamdiu quidem „ ipſa quoque liberos genuit, ab hoc malo „ immunis vixit; at cum poſtmodum per in- „ tegrum biennium, et quod excurrit, ma- „ ritus ejusdem graviſſimis malis decubuiſſet, „ ipſaque hinc nec die nec noctu unquam „ conſtante quiete frueretur, ſæpiusque no- „ cte præſertim ſurgendo pedes non parum „ frigefaceret, inde paulatim iisdem dolere „ cœpit: quem tamen dolorem in principio „ nec vehementiorem, nec diutius inſtan- „ tem tam parvi habuit, ut ejusdem per ali- „ quot menſes vix mentionem injecerit; at

(*a*) Vide hiſtor. 10.

(*b*) Lin. med. ann, 6. Decembr. 5. p. 1374. ſqq.

„ cum poſtmodum maritus vivis exceſſiſſet,
„ diætaque hinc tam lauta, ac olim, non
„ frueretur, vinoque cereviſiam ſubſtituere
„ opus haberet, quin et longe plures, ac
„ olim, animum ejusdem vexarent curæ,
„ dolor hic tanta cum vehementia rediit,
„ ut aliquoties eidem ſe vix ſuperfuturam
„ crediderit: unde et quædam medicamenta
„ eidem oppoſuit, in primisque ſpecificum
„ ſtomach. POTERII, prout in officinis no-
„ ſtris paratur, ſibi prodeſſe nulla dubitavit.
„ Sicuti vero hoc ipſum tantum non pro-
„ fuit, cum aliquando illud dolori ventri-
„ culi partim urenti, partim gravanti oppo-
„ ſuiſſet, ita hac de cauſa tum me in conſi-
„ lium vocavit, ab arthritide tum temporis
„ omnino libera exſiſtens. Nullus ergo du-
„ bitans ego ventriculum abundare humori-
„ bus corruptis et vitioſis, ut hi blande
„ educerentur, blandum eidem purgans ex-
„ hibui, quinque nempe diagrydii ♁rati
„ grana cum triplo ſpecif. cachectici LUDOV.
„ et hinc quidem aliquot ſedes motæ fue-
„ runt, ſimul tamen dolores arthritici tam
„ vehementes ſucceſſerunt, ut licet ventri-
„ culus jam optime . . . ſe habuerit, ſi li-
„ cuiſſet tamen, libentius hujus dolores re-

„ vocaſſet, quam illos quidem tulit „. Similem quoque caſum narrat J. P. WOLFFIUS (*a*): „ vir 62 annorum per multos annos arthritide fixa, in primis circa æquinoctia, laborans, ceteroquin vero vegetus et alacris, ſuisque functionibus ceſſante dolorum ferocia præeſſe valens, hoc tempore nullum ſenſit dolorem, ſed tenſionem quamdam femoris ſiniſtri; die autem 5to Januarii 1730 inſigni dolore ventriculi vexatus fuit, qui brevi adeo increvit, ut media nocte diei 7^mi^ iſtius menſis me vocare coactus fuerit, ubi e longinquo clamorem patientis, quem atrociſſimi dolores ſuſcitarunt, jam jam percepi, qui dein me accedentem, ut citiſſime ſibi auxilium ferrem, antequam animam in hoc cruciatu efflaret, anxie rogavit. Ex adſtantibus ergo, num forſitan medicamentum ſiniſtrum ſumpſiſſet, vel in diæta errorem commiſiſſet, prius quæſivi: qui vero neque hoc neque illud factum eſſe, ſed dolores ab initio mites ſenſim adeo increviſſe, ut in præſentem ſtatum patiens fuerit redactus, referebant. Quamobrem ſta-

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 4. Obſ. 19.

„ tim et quidem hora 12ª nocturna potiunculam e manna Calabr. cum ▽ª lilior. alb. et aniſ. ſoluta, laxantibus amaris et ſyr. de cichor. cum rhabarb. conflatam præſcripſi, quam ſpatio unius horæ duabus vicibus exhauriebat: unde non ſolum circa horam 2ᵃᵐ matutinam alvus aperta fuit, ſed et æger ſex ſedes inde habuit; hisque anxietas ſpaſmodica in totum ſublata fuit, tuſſis vero ſpaſmodica remanſit, quæ tamen ſpatio duorum dierum adhibitis antiſpaſmodicis, nempe cinnab. nat. dep. pulv. lumbric. terreſtr. ſuccin. caſtor. et eſs. anodyna . . . ceſſavit ita, ut æger hactenus neque arthritide in tanto gradu, ut antea, neque alio quocunque malo usque ad hunc diem afflictus fuerit„.

§. 38.

Iteranda quoque ſubinde eſſe cathartica, ubi colluvies humorum pravorum invaluerat, experientia docuit; quandoquidem iisdem per epicraſin datis, nec alioquin, cardialgia eſt expugnata. Sic aurifaber v. RIEDLINI (*a*) ad 60 annos natus ex animi

(*a*) Curar. medicar. millenar. n. 598.

ærumnis in laſſitudinem inſolitam et cardialgiam cum dyſpnœa ingeſta quæque excipientem incidit non ſine indiciis colluvieiillioſæ. Datum purgans cum levamine; et cum eſſent ♂ LUDOV. ei ſubjuncta doloris reliquiis haud mederetur, dabatur ♂ cum catharticis:

℞. Limat. ♂ ſubtiliſs.

Rhei opt. aa ℥iij.

Diagryd. ſulph. ʒß. M. S. omni mane cuſp. cultr. ij; veſperi autem ſpec. cach. LUDOV. ℈j. Unde intra aliquot dies convaluit. Perinde apud P. POTERIUM (*a*) vir nobilis 35 annorum a decennio variis ægritudinibus vexatus, in primis vero mane quovis pituitoſo vomitu, et acerba mox a cibis cardialgia vomitum eorumdem cauſante, cum vigiliis vel pavore ac tremore inter expergiſcendum, affligebatur: unde marcor cadaveroſus. Verum per 15 dies melanagogum extractum, poſteaque nervina roborantia, exhibita morbum plane ſuſtulere. Sed luculentior hujus rei caſus reperitur apud J. N. BINNINGERUM (*b*) de juvene matrona ad

(*a*) Obſerv. et annotat. Cent. 1. Cap. 86.
(*b*) l. c. Cent. 3. Obſ. 63. et 82.

iram prona, quæ tota pene graviditate cardialgiam identidem patiebatur, et a quatridui alvo conſtipata adeo efferatam, ut vomitum bilis flavæ viridisque muco miſtæ cauſarit, enemate demum ſopitam. A partu crus dextrum doluit, tumuitque facies cum virium imbecillitate, febre, ſiti, ventreque laxo ac tumido; lochia alba ac parca fluxere, a queis ſuppreſſis ægra 7 dies morti erat vicina, donec poſt varia tentata enemate emolliente purgante et antihyſterico injecto, et hora poſt datis trohiſc. de myrrha ad ʒj, nec non ſacculis diſcutientibus hypogaſtrio calide admotis, lochia revocata morbum ante 9um puerperii diem ſuſtulere. Inde prolem lactans 11o abhinc menſe denuo immani cardialgia correpta eſt adeo, ut toto trihorio ſtomachum ſibi rumpi quereretur, cum pulſu debili, vomituque muci inſipidi. Secuta horrenda ſymptomata: labium inferius modo celerrime agitabatur, modo os velut loquenti mandentive motitatum; alias alta crebraque inſpiratio, mox pavor, interdum uberes lacrimæ, nunc capitis manuumque motus convulſivi, nunc ſenſibus abolitis oculi fixi, cernebantur. Hæc per ½ horæ durantia ſequebantur alia non diſſimilia per idem

tempus phænomena. Ad mentem reverſæ capitis ſtomachique dolor cum irrita ſomnolentia, et loquendi ſubinde difficultate, ſuperfuit Antihyſtericorum in et externo uſu mitigati inſultus poſtero mane denuo recruduerunt, veſperique acerrima emicuit cardialgia cum abdominis tumore, enemate nervino rurſus placata. Die 3° a leni dato cathartico poſt binos vomitus et 4 dejectiones omnis deſiit morbus; verum ovis cæpisque die 4° uſam, caputque die 5° nudantem, novus corripuit vomitus cum inſigni colli, abdominis, malleolorumque dolore nullis remediis pacando, ita ut ſibi findi erodique ventrem ac lumbos quiritaret. Iteratis enematibus ſoluta demum alvus eos poſtero die mitigavit, ſed vel levi corporis motu exacerbandos, qui finiente die 6° in ſtomachum ac ventrem enormes denuo rediere cum vomitu bilis omniumque ingeſtorum, nec antihyſtericis, nec opio, nec uterinis peſſis domandi, ita ſimul abdomen diſtendentes, ut totis duorum hominum viribus illud comprimi deberet, ſumma cum euphoria. Nullis ergo proficientibus remediis tandem ſequentia morbum profligaverunt:

℞. Extr. pilul. aurear. ℈j
Aloes ſuccotr. ʒj.
Myrrhæ
Troglot.
Opopan.
Ammon. aa gr. xijß
Maſtich. gr. xv.
Croci gr. v.
Croc. ♂ reverberati gr. LV.
Syr. Artemiſ. q. S. M. F. pil. n. xxvij.

S. quovis mane n. jx, quæ ter quotidie alvum movere, dolore toto triduo nullo percepto. Idcirco altero triduo iterum ſumptæ priſtinam valetudinem reddiderunt. Eodem remedio P. POTERIUS (*a*) virum ad 40 annos natum a gravi multorum annorum cardialgia, periodice quovis anno certis diebus recurrente, et ad omnia alia rebelli, per triduum exhibito liberavit.

§. 39.

Acidulæ autem catharticæ cum non modo alvum per epicraſin cieant, ſed humorum ſimul maſſam acri irritante vel lentore

(*a*) l. c. C. 24. (v. ejus pharm. ſpagir. L. 3. S. 5.)

viſcido infectam diluant, morboſumque per vias lotii evehant, facile patet, eas hic primas ferme tenere. Matrona AMATI (*a*) dira ſæpe cardialgia, epilepſiam (ni ſyncope potius fuerit) ciente, vexata, etſi poſt emeticum, cathartica, ac nervina uſurpata levamen ſenſerit, haud tamen prius, quam poſt aquas Aponenſes potas, ex toto convaluit. Perinde apud N. CHESNEAU (*b*) Religioſus ſemeſtrem cardialgiam cum anorexia paſſus, poſt V[æ] S[es], apozemata, iterata cathartica, opiata, ac topica, &c. fruſtra uſurpata, demum aquarum de Villaranque uſu intra 7 dies convaluit, earumdemque uſu recidivam quoque (poſt circ. 8 menſes) profligavit. Alter (*c*) itidem Religioſus perinde, ab hemicrania ſibi ſolenni non reverſa, ſtomachi dolorem, ad medium ſterni quandoque pertinentem, cum pallore faciei, læſaque appetentia, e longis quidem intervallis revertentem, at multos durantem dies, ut ut inæquali vehementia, perpeſſus, catharſi eum, ac ſtomachicis roborantibus fugare ſolebat,

(*a*) l. c. Cent. 1. curat. 20.
(*b*) l. c. L. 3. C. 1. Obſ. 3. p. 197.
(*c*) Ibidem Obſ. 4. p. 200.

quin tamen impedire ejus reverſiones, cum noctu ad chorum ſurgeret, potuerit; donec aquarum de Villaranque potu easdem profligaſſet, inuſto ſimul brachio fonticulo, terque aut quater per annum inſtituta catharſi, et capite contra frigus probe munito. J. C. TILLINGII (*a*) „ vidua annorum 57, tem-
„ peramenti bilioſi, chronica laborabat car-
„ dialgia, quam ſæpius vomitus, dolor ca-
„ pitis intenſiſſimus, veſperi maxume infe-
„ ſtans, comitabatur. Qvum aliquoties uſu
„ thermarum (CAROLINARUM) hæ adfectio-
„ nes morboſæ levatæ fuiſſent, ægra opti-
„ ma cogebatur ad hos fontes ſalutares ite-
„ rum confugere. Dolor capitis poſt epulas
„ ſemper recurrebat acerbiſſimus, adeo ut
„ oculi obfuſcarentur, partes dolentes, et
„ brachium ſiniſtrum, tumerent et dolerent.
„ Primis diebus inſurgebant tormina, nau-
„ ſea, diarhœa, et rheumatici dolores; quæ
„ tamen omnia ex hauſtu thermarum remit-
„ tebant ſymptomata, ſubſequente larga ex-
„ cretione alvina. Adfligebant illam tamen

(*a*) Obſ. med. ſingular. circa verum uſum thermar. carolinar. Obſ. 33. p. 61.

„ poſtea agrypnia, ſapor alcalinus ovorum putrefactorum inſtar, æſtus vehemens ventriculi, et ſitis. Suaſit ergo ad mitigandam acrimoniam bilioſam, antequam cubitum iret, decoctum ceraſorum acidorum, quo ſomnus quietior factus eſt, et ſitis remiſſior. Interpoſuit deinde laxans ex tamarindis, cremore 🜿ri, rhabarbaro, et manna, quod primum vomitum pituitoſum et bilioſum deinde quinquies alvum movebat absque ullo incommodo, licetque veſperi ſpontaneo vomitu rejiceret adſumpta et pituitam, id quod extra uſum thermarum ſæpius accidere ſolebat, optime tamen inde ſe ſe habebat, thermæ bene excernebantur, cibique cupiditas in dies augebatur. Perſpicuum eſt, in hac ægra depravatam fuiſſe concoctionem, ventriculumque repletum ſaburra bilioſa, quam ſæpius thermæ valide et repente movent, ardorem ſaporemque putridum, æſtum, nauſeam, et vomitus bilioſos excitant „. G. C. SPRINGSFELD (*a*) perinde matronæ meminit cholerico-ſanguineæ, ad 30 annos natæ, quæ non dum nupta optime ſemper

(*a*) Abhandl. vom Karlsbade, die 18. Geſchichte p. 37.

valens, nuptui vero data poſt alterum puerperium, imminentibus vel maxime catameniis vehementiſſimos inſultus hyſtericos experiebatur, videlicet cephalalgiam, violentiſſimos vomitus, tormina, et enormem cardialgiam, interdum in 3. 4. pluresve dies durantem. Materia vomitu rejecta acidiſſima pelvim argenteam arroſit, nigroque fœdavit colore. Vini Rhenani potus acorem hunc vel cauſavit, vel certe fovit et anxit. Poſt varia per plures annos in caſſum tentata remedia, tandem verno tempore ad Carolinas thermas profecta potavit aquas, et aliquoties balneavit, eo cum ſucceſſu, ut licet ad primos hauſtus memorata ſymptomata acriter emicuerint, paulo tamen poſt mitigabantur, ac demum conquievere, et ægra ab hinc aliquot annis pancratice vixit. Poſtmodo vero molimina quædam antiqui mali rurſus ſe ſe exſerebant; ſed ſpes erat fore, ut ab uſu ejusdem aquæ profligentur. Earumdem thermarum uſu ter cardialgiam pertinacem ſanatam refert P. G. SCHACHER (*a*),

(*a*) Diſſ. de thermar. CAROLINAR. uſu in præcipuis ventriculi inteſtinorumque morbis §§. 9. et 18. p. 12. 25. (Reſp. M. G. G. RICHTERO 4. Lipſ. 1716.

nempe „ gravida quædam robuſtæ cetero-
„ quin et vividæ conſtitutionis . . . ante
„ imprægnationem jam jam de dolore ven-
„ triculi intenſo, crebriore vomitione, ac
„ cephalalgia exquiſita, conqueſta erat, quæ
„ ſymptomata graviditatis tempore cum in-
„ tenderentur, eo conſilio thermas adibat,
„ ut earum uſu a cephalalgia in primis libe-
„ raretur. Licet itaque ipſi medium geſta-
„ tionis tempus jam tum emenſæ medicus in-
„ tempeſtivum thermarum uſum cordate diſ-
„ ſuaderet, conſilio tamen ejus ſpreto quo-
„ tidie inſignem aquarum quantitatem ingur-
„ gitabat, atque poſt quamlibet potionis
„ periodum non minimarum virium purgan-
„ te tanta cum euphoria utebatur, ut non
„ modo cephalalgia cum ceteris malis remit-
„ teret, ſed et ea juſto pariendi termino
„ puerum formoſum beneque nutritum eni-
„ teretur „. Alter caſus eſt „ ſummi cujus-
„ dam Principis, in optimo ætatis flore con-
„ ſtituti, affectione hypochondriaca et ſcor-
„ buticis doloribus vagis ſimul laborantis, ce-
„ teroquin robuſti admodum carnoſique cor-
„ poris, qui quoties cœnæ prandiique tem-
„ pore alimenta aſſumebat, toties circa cor-
„ dis ſcrobiculum ejusmodi ventriculi ſpaſ-

„ mum dolorificum percipiebat, qui pectus
„ transverſim infeſtans reſpirationi non pa-
„ rum officiebat. At dici non poteſt, quam
„ egregie . . . Principi thermæ paucis ante
„ annis conduxerint; præterquam enim quod
„ durante cura ſpaſmus prædictus plenarie
„ evaneſcebat, certe reliqua quoque ſym-
„ ptomata pedetentim remiſere ita, ut ſani-
„ tatem ex animi ſententia recuperaverit „.
Tertius gravioribus malis ſtipatum ſtomachi
ſpaſmum patiebatur literatus quidam: „ hu-
„ jus enim ventriculum circa cordis in pri-
„ mis ſcrobiculum incertis diei temporibus
„ non modo dolor quidam ebulliens ac gra-
„ vitate conſtrictioneque moleſtus invade-
„ bat, verum quem etiam brevi poſt palpi-
„ tatio cordis, dolor capitis gravativus, fa-
„ ciei pallor, frequens et laborioſa mictio,
„ nec non totius corporis laſſitudo ſequeba-
„ tur. Licet itaque et præcipitantia et an-
„ tiſpaſmodica et ſtomachica et laxantia ipſi
„ fuerint præſcripta, malum tamen iis haud
„ cedebat. Quare cum corpus ejus obeſu-
„ lum haud parum extenuaretur, atque in-
„ ſuper . . . inſuetum ingenii torporem in
„ peragendis laboribus, quos alias indefeſſa
„ alacritate perficiebat, ſentiret, thermarum

„ tandem aſylum adibat. Atque profecto
„ uſus earum ipſi optime ceſſit; quippe qui
„ lætus et ſanus domum revertebatur, hunc
„ usque in diem integra fruitur ſanitate,
„ ſaltem quod perraro prodromi veteris ma-
„ li, mox tamen congruis remediis exhibi-
„ tis ceſſantes, non nihil eidem moleſtiæ
„ creent „. Porro J. MARTII (*a*) „ vir con-
„ ſiſtentis ætatis. . . a 4 annis talia ſympto-
„ mata paſſus erat: cum eſſet temperaturæ
„ bilioſæ, decolor ob adfectus diuturnita-
„ tem, habebat hypochondria tenſa, dolo-
„ rem ventriculi continuum per 8 horas ab
„ alimenti adſumptione ſentiebat, non ceſ-
„ ſantem, niſi cibum vomitu rejiceret. Præ-
„ ceſſerat autem ante biennium vomitus atri
„ ſanguinis. In hoc caſu BACCIUS BALDINUS
„ ita proceſſit: 1° die exhibuit minuens tale

℞. Mell. roſ. ſol. ℥jβ
Diaſennæ ℥j. M. cum
▽a Ceterach.

„ Secundo die ℞. Syr. de Abſinth.
Acetoſi
de duab. radic. āā.
▽æ Cichor. Fumar. q. ſ.

(*a*) Obſ. med. 11. in G. H. VELSCHII ſylloge cur. et obſ. medic.

„ His adjunxit fomentum ventriculi, et ungv.
„ ſtomachicum. Sexto die hunc ſyrupum

℞. Syr. de fumar. ſol. ℥iij
Diaphœnic. ʒij
Spec. de hiera cum Agaric. ℈jv.

„ Septimo imperavit aquam Tetuccianam ad
„ ampullas ij (quæ vulgo fiaſconi) Octavo
„ hunc clyſterem

℞. Flor. Chamomill. M. ij bulliant in
▽æ Tetuccian. ℔ jβ colatæ adde
Ol. Rutæ ℥jv
Sacch. roſat. q. ſ. Fiat.

„ Aqua autem hac uſus eſt usque ad 15 diem.
„ Deinde hoc

℞. Diarrod. Abbat. ℥j
Diatrion piper. ʒij. Melius habuit „.

J. A. GOERITZ (*a*) narrat Eccleſiaſticum poſt ſuppreſſam 3nam, ejusque recidivam cortice Peruviano fugatam amiſiſſe ocyus appetentiam, qui cardialgiam ſimul cum pedum oedemate, ſuperioribus corporis partibus in dies magis emarceſcentibus, patiebatur. Curatione autem per potum aquæ amaræ inſtituta oedema evanuit, rediit appetentia, recu-

(*a*) BÜCHNER miſcell. phyſ. med. math. A. 1727. Junii Cl. 2. art. 4. p. 345.

peratoque ſenſim corporis habitu ac viribus convaluit. Porro (*a*) mulier obeſa, 60 annis major, a longiori tempore inflationem ſtomachi tanto cum dolore patiebatur, ut inflata plaga ne digiti quidem attactum ferret, ſimulque flatus in regione lumbari læva collecti dolorem cauſabant in dorſum etiam ſævientem; urina mucum continuo vehebat, et crura parumper inflata erant. Cum tamen vires conſtarent, æſtate A. 1748 poſt ſanguinem detractum imperabatur aquæ Wisbadenſis et balneum quotidie unum, et potus ita, ut poſt tridui hauſtus parciores 4° quoque die ad catharſin usque biberetur. Poſtea ſubjuncto aquæ Schwalbacenſis uſu mulier aliquot annis ſana vixit.

§. 40.

Id etiam catharticis eſt ſolenne, ut excitata interdum emeſi vicem emeticorum obeuntia morbi cauſam e ſtomacho excutiant. Sic cum puellam novennem v. RIEDLINI (*b*) ſubita cardialgia cum frigore æſtuque alternis

(*a*) Wisbadiſche Krankengeſchichte 1 Geſchichte.
(*b*) Lin. med. ann. 4. April. 5. p. 272.

invaſiſſet, poſt caſſum aliorum remediorum uſum, cathartico dato non modo dejecit, ſed vomuit quoque pyri ſiccati partem, clam ante 5 dies comeſtam, et etiam tum integram. Quo facto convaluit. Sæpiſſime id ipſum in verminoſa cardialgia eveniſſe eſt obſervatum. Ita J. RHODII (*a*) „ puella „ habitior trium et viginti annorum cardial- „ gia infeſtata, quum propinatæ fuiſſent ipſi „ mellis roſacei ℥v cum pulpa tamarindo- „ rum ex ▽ª rutæ caprariæ, ventre purga- „ to 20 vermes vivos evomuit „. Eodem modo „ mulier, inquit G. BALLONIUS (*b*), „ neſcio quæ abſurda ob annonæ caritatem „ ſumere coacta conqueritur de graviſſimo „ ſtomachi dolore . . . De fovenda parte „ iſta diſtenta cogitabamus. Tandem rheo „ exhibito revomuit pituitoſa multa cum 3 „ lumbricis ſemipedem longis ac vivis „. Perinde mulier 30 annorum apud N CHESNEAU (*c*) febre acuta continua cum atroci cardialgia, pulſuque die 2° morbi intermittente et extremorum frigore, laborans, die

---

(*a*) Obſerv. medic. Cent. 2. Obſ. 73.

(*b*) Paradigmate 157.

(*c*) l. c. Obſerv. 2. p. 197.

4° ſumpſit medicamentum ex infuſione ʒj rhabarbari in ▽ª cichorei, in qua ℥β catholici diſſoluta eſt, et ʒβ ♃ris thei. Dejecit quater, vomuitque vermem teretem ſat magnum, quo ejecto omnia placata ſunt, et die 5° febris abfuit. Denique s. SCHULTZII (*a*) puella 12 annorum exquiſitam cardialgiam cum alvo conſtipata die integro fere usque ad lipothymiam paſſa, poſt enema et paregorica cum noctem quieriorem tranſegiſſet, poſteroque die dolor adhuc, etſi mitior, eam detineret, ſumpſit bolum ſequentem:

℞. Elect. laxativ.
Extr. fol. Sennæ noſtr. ℥β
Reſin. Scammon.
—— Jalapp. aa gr. ij.
Cremor. ♀ri gr. xvj. D. cum ſacch. canar. alb. Poſt vix elapſum bihorium cardialgia gravior rediit, ſequente nauſea, vomitu, et aphonia; quæ tamen omnia mox deſicere, ubi vomitu excretus fuiſſet vermis ſpithamam longus, minorem digitum craſſus, albus, capite rubicundo, in ipſa egeſtione mortuus.

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 3. Obſ. 258.

CAPUT III.

ANTHELMINTICA.

§. 41.

ANTHELMINTICA porro tantopere in cardialgiæ curatione tum, cum hæc vermibus debetur, ſunt neceſſaria, ut ſine his cetera quæque remedia ſæpenumero fruſtra ſint; conrra vero ſola iſthæc non raro ſufficiant vermibus vel cato vel ano excutiendis: quod proinde eo etiam obtinetur certius, ſi anthelminticis cathartica vel emetica juncta præbeantur, velut in HAGENDORNII (*a*) puerpera accidit. Cum autem non ſit hujus loci, doctrinam varietatemque anthelminticorum tradere, ut quæ ad vermium pertineant hiſtoriam, nil aliud hic, præter quam nonnullos cardialgiæ verminoſæ anthelminticis percuratæ caſus, in medium adferam. Narrat N. CHESNEAU (*b*) ſartoris uxorem diu cardialgiam cum vomitu ex intervallis et

(*a*) Vide §. 30 n. 1. a)

(*b*) l. c. Cap. 8. Obſ. 8. p. 314.

continua quadam febre paſſam, poſt cathartica aliaque remedia in caſſum data, ubi ſcopo moleſti vomitus compeſcendi cataplaſma PARACELSI e ſucco menthæ cum fermento veteri ſtomacho applicuiſſet, rejectis vomitu 6 vermibus villoſis convaluiſſe. Ita et „ civis „ Wettinenſis uxor „ refert A. STEGMANNUS (*a*), immani cardialgia cum obſtru„ ctione alvi per aliquot dies laborabat; ad „ eam tandem vocatus clyſteres applicari „ juſſi, a quibus etiam alvus aperiebatur. „ Cum autem illa magis magisque de car„ dialgia et acido inſigni (es brennet mich „ auf dem Herzen wie Feuer, dicebat) in præ„ cordiis quereretur, varia illi contra car„ dialgiam alias expertiſſima remedia propi„ nabam, ſed nullo ſucceſſu. Dabam ita„ que illi ad acidum abſorbendum limatu„ ram ♂ crudam, . . . a qua etiam ardor „ aliquo modo compeſcebatur. Poſt aliquot „ horas reiterabam limat. ♂ et quidem ma„ jori doſi, a cujus uſu non longe poſt 5 „ vermes miræ formæ ad digiti longitudi„ nem evomebat cum clamore maximo, di„ cens: es brennet mich einer mit glüenden

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 1. obſ. 7.

„ Zangen. Altero die poſt propter alvum
„ obſtructam clyſterem cum anthelminticis
„ compoſitum applicari jubebam: cum alvus
„ ea ratione ſolveretur, mira et innumera-
„ bilis progenies vermium minutiſſimorum,
„ vix oculis comprehendendorum, et pene
„ ſpermatis ranarum ad inſtar, cum excre-
„ mentis exonerabatur. . . Poſt aliquot ho-
„ ras repetebam doſin limaturæ ♂, a qua
„ iterum non longe poſt vomitum patieba-
„ tur, et ſimul vermem inuſitatæ formæ et
„ magnitudinis, lacertæ ad inſtar, excerne-
„ bat, a cujus excretione tandem mortem
„ cum vita commutabat „. Perinde L. HEI-
STERI (*a*) puellæ 12 annorum, multis jam
licet ex uſu ſem. Santonic. et ☿ii in lacte
decoctorum excretis vermibus, nihilominus
de vehementi et punctorio ſtomachi dolore,
cum ejusdem inflatione, ſitique conqueſtæ
die 3a April. 1718 præſcritus bolus

℞. ♁is Jalapp. gr. xv.
☿ii dulc. ℈β
Diagryd. gr. iij.
Conſ. roſar. q. ſ. F. bolus. D. in duplo.

(*a*) Medic. chir. und anatom. Wahrnehm. 1 Band n. 524. p. 879.

Sumat mane uno n. 1, et 5[ti] poſt diei mane alterum. Præterea Vini Hiſpanici ℔ β affundenda erat fl. Tanaceti et ſem ſanton. aa ℥β, indeque ſemper cochlear 1 poſt cibationem erat uſurpandum. Ad ſitim ſedandam tempore comeſtionis dabatur cerevifia, cujus ℔ j. inſtillabantur Ω 🜍[ris] gtt. x. Pro cardialgia vero mitiganda ſcrobiculo cordis umbilicoque mane, meridie ac veſperi, infricabatur piſi quantitate ſequens:

℞. Ol. N. M. expreſs. ℥j
— deſtill. carvi
— —— aneth.
— —— tanacet.
— —— fœnic. aa gtt. v. M.

Ab his remediis multi adhuc vermes excreti ſunt, dolores evanuere, et puella convaluit. Apud ZACUTUM (*a*) puer 13[um] annum agens, verminoſus, die quodam immani cardialgia prehenſus eſt, intra 2 horas adeo increſcente, ut præcedentibus animi deliquis, ſyncope, ſummaque anxietate obiturus putaretur. Fruſtra erant enemata, emetica, cataplaſmata, aliaque anodyna, carminantia. Sed cum

(*a*) Medicor. Princip. hiſtor. Lib. 2. Obſ. 11. p. m. 624.

ſæpius ante dolor poſt expulſos anthelminticis vermes conquieviſſet, ſimilia demum biduo dabantur; at perinde ſine levamine: æger vigil, inappetens, viribusque exhauſtus ad remedia oblata immoriger etiam fiebat. Cum autem ſiticuloſus eſſet, oblatum tandem vinum album, decocto aquoſo ligni colubrini dilutum, cum ſucco allii ſicci, et theriacæ antiquæ ℈j medicatum, a quo poſt horam aliquantiſper quievit. Poſt 4 horas excrevit, diris torminibus præviis, alvo tæniam craſſiuſculam, rubro nigroque colore infectam, 4 digitos latam, et 25 palmos longam, in aqua ſe ſe contrahentem, qua expulſa puer convaluit, vinique abſinthitis uſu a recidivis liber manſit. v. RIEDLINI quoque huc obſervatio pertinet; ſed quæ binis in locis (*a*) relata haud ſibi ſatis conſtat: nempe „ primarii cujusdam viri ancilla fidiſ„ ſima cum per 3 fere hebdomadas poſt ſin„ gulas menſas dolores primo ventriculi gra„ vativos, hinc vero in ventrem deſcen„ dentes, et per totum corpus vagantes, „ perciperet, hos quidem primo ſic ſat æquo

---

(*a*) Lin. med. ann. 5. Auguſt. 12a p. 825. ſqq. et ann. 6. Februar. 21a p. 199. ſqq.

„ tulit animo, nec niſi domeſtica quædam „ remedia iisdem oppoſuit; quia plerumque „ brevi denuo ceſſarunt: at quoniam quoti„ die vehementius eandem invaſerunt, et „ tandem etiam diutius inſtiterunt, miſerta „ ejusdem hera meum conſilium deſidera„ vit, ubi ut ut de vermibus ſtatim cogita„ verim, eoipſo tamen quia poſt cibum „ ſumptum malum præſertim inſtitit, et „ menſes non rite fluxerunt, ſeductus fui, „ ut in utero cauſam mali quæſiverim, hinc„ que non niſi ea medicamenta præſcripſe„ rim, quam quæ in menſibus in ordinem „ redigendis commendantur. Licet vero „ hæc ſumma cum diligentia adhibuerit, „ vix quicquam tamen iisdem effectum fuit; „ quamprimum appetitu non jam ſuadente „ ſed urgente cibos ſumpſit, dolores con„ ſueti rediere, et ipſam omnino proſtrave„ runt. Notavit interea aliquando, cum „ alvi excrementa depoſuiſſet, in partibus „ huic operi dicatis pruritum minus conſue„ tum, qui eam, ut curioſius excreta inſpe„ xerit, commovit, et ecce! conſpicit in „ iisdem vermiculos quam plurimos hinc „ inde reptantes. . . Ubi in ſententia mea

„ prima magis confirmatus . . . ☿ium . . .
„ eidem exhibui :

℞. ☿li vivi probe mundati ℥ß. coq. aliquam diu in
▽æ Gram. ℥vj et colat. adde
Syr. flor. Perſicor. ℥vj. M. ad V.

„ Sign. potiuncula pro 3 doſibus. Hanc. . .
„ cum ſumpſiſſet, uti juſſa fuerat, tribusque
„ diebus ſingulis mane unam partem deglu-
„ tiiſſet, inde ejectis longe pluribus vermi-
„ culis vivis jam melius . . . ſe habet „.
Interea anno inde poſt hunc ipſum caſum
deſcribens Auctor „ ancilla quædam fida
„ (ait) . . . aliquoties jam malis quibus-
„ dam correpta fuit, quæ ab utero originem
„ ſuam trahere adeo nemo dubitavit, ut et
„ ſubinde . . . antihyſterica in uſum duxe-
„ rit, iisque demum nil proficientibus,
„ quando ad me ventum fuit, non tam de
„ malo ipſo quæſtio inſtituta fuerit, quam
„ ut efficaciora hactenus in uſum ductis re-
„ media ſuggererem, petitum. Nec ego
„ (ut ingenue fatear) me habere, quod de
„ dicta paſſione hyſterica vel minimum du-
„ bitem, unquam cogitavi, cum in primis
„ ſemper parcum eſſe et inordinatum men-
„ ſium fluxum mihi indicarit; ſymptomata

„ etiam, quæ eandem incommodarunt, cum
„ iisdem convenerint, quæ hoc ipſum ma-
„ lum comitari ſolent: pallidus enim faciei
„ conſpiciebatur color, de ventris jam gra-
„ vativo jam urente dolore tanto quereba-
„ tur, ut et querelis clamores immiſcuerit.
„ Huic ſuccedebat reſpiratio tam difficilis,
„ ut nonnunquam et a ſuffocatione ſibi me-
„ tuerit, inflabatur etiam aliquoties abdo-
„ men, brevi tamen denuo ſubſidens, et
„ omnia hæc mala eo præſertim tempore
„ exacerbabantur, quo alias menſes fluere
„ ſolebant, aut et aliquantum fluebant;
„ quod eo magis me in ſententia mea con-
„ firmavit, uterum nempe exſtare omnium
„ horum malorum auctorem, bis terve etiam,
„ licet poſt bene longum temporis ſpatium,
„ non niſi iis medicamentis in uſum ductis,
„ quæ alias utero in primis amica credun-
„ tur, ex marte præſertim, ſuccino, caſto-
„ reo, et cinnabari nativa petitis, integre
„ convaluiſſe viſa fuit. Unde et malis his
„ redeuntibus ad priora quoque rediimus
„ remedia; quæ vero ultima præſertim vice
„ adeo nil levaminis attulerunt, ut vel mo-
„ nita jam continuare noluerit, quæ antea
„ ipſamet ſumme expetiit. A querelis autem

„ nihilominus non deſiſtenti aliquando hera „ pilulas Francofurtenſes, cum alvus etiam „ obſtructa eſſet, ſuadet, ipſaque hujus di„ ctis parens poſt ter repetitum harum pi„ lularum uſum tam ingentem quantitatem „ aſcaridum per alvum excrevit, ut non pa„ rum mirata fuerit. Salva vita ſe tot ver„ miculos in ſe alere potuiſſe. At ab illo „ tempore omnia ſymptomata tam integre „ ceſſarunt, ut jam plane non habeat, de „ quo conqueratur „. Ex utraque hac narratione diſcrepantia rei geſtæ ſatis colligitur. Prætereundum hic non eſt, ad cardialgiam ab hirudinibus deglutitis ortam, nil certius celeriusque opem ferre ſale veſco aſſumpto, ut id e vulgari chirurgorum hirudines, ut morſu partis relicto decidant, ſale aſpergentium, ſatis conſtat. Sic teſte J. RHODIO (*a*) „ J. PREVOTIUS ab HERCULE SAXONIA „ ſummo viro aquæ ſalſæ potu confeſtim ſe„ datam vidit cardialgiam a morſu hirudi„ num, quæ naribus adhibitæ chirurgi ne„ gligentia in gulam irrepſerant. Quo no„ mine hirudines muria excutit autore DIO„ SCORIDE „ (*b*).

(*a*) l. c. Obſerv. 72.

(*b*) De medica materia L. 6. C. 32.

CAPUT IV.

DEMULCENTIA.

§. 42.

DEMULCEMTIA vero in cardialgiæ curatione quantæ ſint efficaciæ, ubi memoratæ hactenus vacuationes aut locum non habent, aut nihil effatu dignum præſtiterunt, ii præſertim norunt, queis numeroſiores id genus ægri curandi obtingunt. Agunt vero hæc demulcentia vel in ſolida ab acri irritata, vel in fluida acre ſibi permiſtum vehentia, vel in utraque. Sunt autem vel aquoſa humectantia vel plaſtica oleoſa mucilaginoſave. Ita BRUN (*a*) refert juveni 20 annor. robuſto ab intermittente febri percurato tam atrocem ſuperveniſſe cardialgiam, ut opificio ſuperſedere debuerit. Poſt fruſtraneum variorum ſtomachicorum roborantium uſum in pejus ruenti et pro hectico declarato conſilium datum ad natalem aerem redeundi: ubi

(*a*) ROUX Journ. de Medec. &c. Tom. 26. Janv. 1767. p. 56.

uſu humectantium ac refrigerantium intra 3 hebdomades ſanatus ad opificium rediit. Reverſis autem poſt aliquot dies doloribus denuo domum remiſſus eadem methodo ſpatio menſis prorſus tandem convaluit. Huc proinde pertinent:

§. 43.

1. *Aqua pura* diutius potata. Sic mercator Hollandus diuturnam cardialgiam paſſus fruſtra variis tentatis tandem LOCKII conſilio ſola aqua pura pro quotidiano potu uſus brevi convaluit (*a*) M. STOLL (*b*) „ ſpaſ„ mum ventriculi gravem in viro robuſto „ plenoque, et quotidie per multos annos „ a paſtu maxime recurrentem, quem ſpiri„ tuoſa, amaricantia, nervina, chalybeata, „ multo ferociorem effecerunt, ſtrictiori „ diæta et abſtinentia a vino ac calefacien„ tibus quibusvis, et ſanguinis miſſione lar„ giori, inſtar incantamenti conſopivit. Nec „ id incommodi poſthac rediit; etſi homo „ vino denuo uteretur, parciori quidem et

(*a*) Mediciniſche Anecdoten 2 Th. n. 207.
(*b*) Rat. med. P. 2. C. 10. p. 157. ſq.

„ aquæ commixto „. Perinde meminit POMME (*a*) matronæ, quæ e diuturnis animi pathematibus incidit in hyſtericos affectus, crebriorem nempe vertiginem et amblyopiam cum ſuppreſſione menſium, queis acceſſit ſoda, nec catharſi nec ſtomachicis nec abſorbentibus domanda; donec, præmiſſa Væ Se in pede, copioſe ▽am Rhodani bibendo a ſoda intra paucos dies liberata eſt. *Frigida* autem præſertim aqua hic ſæpenumero eſt admodum efficax, ſi jejuno ſtomacho potatur, in iis vel maxime, qui ob ventriculi atoniam ad cardialgiam ſunt proclives; hujus enim potu non modo cruda lentaque et acria in ſtomacho diluuntur, ſed fibris quoque languidioribus ventriculi majus conciliatur robur ad melius peragendam digeſtionem, et ſi criſpatura ſolidorum præſto ſit, ea quoque humectantur. Quid quod et bilis acrior uberiorve aut viſcidior ſtomacho infeſta perinde diluatur, enerveturque? Sane F. HOFFMANNUS (*b*) „ experientia . . . . (inquit) „ crebriori didicimus, in hoc atroci affe-

(*a*) Abhandl. von den Vapeurs p. 243.
(*b*) l. c. curat. §. 3.

„ ctu, ſi a bile nimis calida ebulliente et „ cauſtica obortus fuerit, ſolam aquam pu„ ram et frigidam per vices usque ad men„ ſuram dimidiam vel ultra hauſtam, tecto „ bene corpore, et impoſito ſtomachali regio„ ni calido fomento, inſigniter profuiſſe, „ ac ſubſecuto ſudore per univerſum corpus „ dolorem ſummo cum levamine diſcuſſum: „ eoque remedio acrimoniam bilioſam non „ modo dilutam et temperatam, ſed et ni„ mium æſtum depreſſum, ac denique ipſum „ robur, quod ingenti calore et dolore de„ jectum erat, quodammodo reſtitutum fuiſ„ ſe. Vidimus quoque cardialgiam cum cho„ lerica paſſione junctam hoc unico remedio „ ſummo cum levamine conquieviſſe„. Inſignem hac de re caſum J. L. SCHMUCKERO (*a*) communicavit HEMMAN, nimirum femina cœlebs 27 annorum cardialgiam hunc in modum experiri cœpit: ſine ulla prophaſi dolor ſtomachum invadebat, quem cito conſequebantur motus extremorum artuum convulſivi, tum ſenſuum abolitionem excipie-

(*a*) Vermiſchte chirurg. Schriften 2 Band 7 Abſchnit 25 Bemerk. p. 184. ſqq.

bat ſtatus apoplecticus. His omnibus intra 15 ad 30 minuta finitis velut e profundo ſomno evigilanti ægræ nil niſi cephalalgia aliqua cum languore ac debilitate totius corporis ſupererat. Induciæ ſubinde menſium aliquot intercedebant. Aſt poſt 1½ annum paroxyſmi crebriores facti indolem quoque quadantenus mutarunt; inſultus nempe apoplectici non amplius venere, nec ſenſus abolebantur; ſed intenſior ac diuturnior, ſcilicet horarum aliquot, erat dolor. Variis in caſſum tentatis remediis paroxyſmi tandem facti periodici, quovis menſe ante catameniorum eruptionem recurrebant, dies aliquot vehementiſſime excrutiantes, quos ægra nullo alio in ſitu, quam corpore antrorſum ita curvato, ut pectus genua contingeret, perferre poterat. Pulſus omni momento variabat, potiſſimum tamen parvus, ut vix perciperetur, ac durus, et in graviſſimis inſultibus intermittens. Dolor in ſtomacho obortus omnes demum thoracis nervos afficiebat, ut extrinſecus etiam convulſivi motus muſculorum colli et pectoralis majoris trans cutem eſſent obſervabiles. Sæpe toto corpore ſudor frigidus erupit, omnesque nervi adeo erant ſenſiles, ut minimus

motus (v. gr. inceſſus vel intenſior loquela) doloris crearet ſenſationem, ſine qua nulla etiam corporis pars attactum tulit. Potus calidus theatus quandoque paroxyſmi vehementiam leniebat, ſæpius tamen augebat ſymptomata, et in ſummo paroxyſmo ingeſta quæque ſeu fluida ſeu ſolida dolorem intenderunt. Plerumque occipiebat inſultus cum vomituritione, ſæpe etiam vomitu conſecuto; interdum liquidum videſcens excernebatur cum continua paroxyſmi remiſſione: unde conjicere licebat, humorem hunc fuiſſe ſuccum gaſtricum acrem factum, cujus ab irritatione invaſio profecta fuiſſe videtur. Ut plurimum autem decolor aqua vomebatur ſine ullo levamine. Ubi ſpaſmus in ſtomacho conquievit, in pectus abdomenque trajiciebet, ſequebantur fugaces, omnem thoracem electricæ ſcintillæ inſtar pervadentes dolores lancinantes, qui demum figebantur læva parte, qua diaphragma cavo thoracis nectitur, preſſionis ſenſationem edentes, qua etiam repente evaneſcente, velut ſi premens pondus ingens ablatum eſſet, ægra continuo evaſit alacris, ſola defatigatione, qualis a motu majori percipitur, ſuperſtite. Alias vero acceſſio non repente, ſed pedetentim,

ſiniebatur. Et quoniam plerumque ob ſævitiam dolorum curvatumque corpus ægra noctes aliquot vigiles experta eſt, poſtea incidit in ſomnum, quo excuſſo quandoque ab omnibus ſpaſmis erat immunis, quandoque vero ſupererant adhuc nauſea, cephalalgia, et ægritudo, ſed ſenſim etiam deceſſuræ. His conſtantibus paroxyſmorum phænomenis intercurrebant interdum etiam, rarius licet, alia minus conſueta, v. g. levior angina ſpaſmodica, deglutitionem reddens minus expeditam cum ſenſu rei cujuspiam faucibus inhærentis, interdum ſingulares ſpaſmi obſervabantur in abdomine, veſica, et inteſtinis, alias cephalalgia evaſit intolerabilis, dolore jam totum caput, jam occiput tantum vel frontem infeſtante. Sæpe dolor preſſorius detinebat arcus ſuperciliares, ipſisque in oculis tenſio ac puncturæ percipiebantur, ſcintillæque videbantur præ oculis verſari. Remedia omnia erant fruſtranea: præter multa alia ab aliis ordinata, exhibita etiam fuere, quæ ſpecifice hic indicabantur, ut caſtoreum, moſchus, aſa fœtida magna copia. Poſtrema, forte ob idioſyncraſiam, ſymptomata omnia manifeſte auxere. Liquor anod. min. vel ſolus vel cum elixiriis amaris jun-

ctus interdum leniores paroxyſmos mitigabat; præſentem vero jam paroxyſmum omnia remedia exaſperabant potius, ne opio quidem excepto, cujus ſæpe intra diem ſenſim gr. x ad xjv data fuere, quin vel dolorem minuerint, vel ſomnum acciverint, vel ſtatum ægræ etiam extra paroxyſmum data mutaverint. Vice quadam ad 6am veſpertinam exhibitus pulvis ex opii ac moſchi aa gr. ij. poſt aliquot horas dolorem imminuit (id quod alias opium ſolum majore multo doſi datum non præſtitit); ſed ægram in multo terribiliorem ipſo dolore ſtatum conjecit; namque arcte contracto thorace tanta anxietas oborta eſt, ac ſi maximo pondere pectus gravaretur, ægra, vigilne an ſopita ſit, ignara omnium ſenſuum perturbatione laborabat cum mirificis phantaſiis celerrime ſibi ſuccedentibus: quo factum eſt, ut ægra ad aſſumendum rurſus hunc pulverem nullatenus adduci potuerit. Magnetes, quos Auctor in aliis nervorum affectionibus evidenti cum utilitate applicari vidit, hic prorſus erant inefficaces. Nec vel hilo plus effectum eſt antiemetico RIVERII e ſucco citri cum alcali conflato, et ſub efferveſcentia aſſumpto. Eapropter conſuluit Auctor, ut ægra quovis

mane pro jentaculo poculum aquæ frigidæ hauriret; moxque a primo hauſtu ſpaſmi paroxyſmum jam inchoantes evanuere, ſimulque alvus, alias conſtipationi obnoxia, ab uſu aquæ quotidie reſerabatur. Ultra medium annum conſtanter ſic a ſpaſmis manſit immunis. At verſus hyemem, quod jam curatam ſe crederet, ſtomachique tum perfrigerationem extimeſceret, relicto aquæ uſu ad potum Caffée rediit, impune, imo (ut videbatur) cum euphoria. Verum poſt ſemeſtre vehemens admodum rediit inſultus, triduum durans cum præſentiſſimo vitæ diſcrimine. Repetiit quidem uſum aquæ frigidæ; ſed quod non ita, ut ante, inde proficeret, rurſus deſtitit. Interea tamen morbus ex illo tempore longe aliam induit faciem; nam licet leviores interdum ſtomachi ſpaſmi recurrerent, a diætæ ſemper erroribus oriundi, cum prioris tamen temporis invaſionibus nil commune habere obſervati ſunt: quandoquidem preſſionis tantum ac ponderis gravantis ſenſu moleſti eſſent; priorum tamen in locum aliud notabile malum ſucceſſit, nempe poſt vehementem præviam cephalalgiam, nauſeam, ac neſcio quam perceptam ſtomachi mollitiem ſentit ægra viſus obſcuratio-

nem, ut quaſi trans peplum omnia cerneret; præterea ſentiendi quoque facultas usque adeo eſt imminuta, ut paroxyſmo durante ægra ſit velut cogitandi vi deſtituta. Obſcuratio viſus initio tantum fugax erat, ſed poſtmodo diuturnior evadere videbatur; nam interdum jam in 30 et amplius minuta in quibusdam invaſionibus durabat. Ceſſante paroxyſmo quaſi velum ab oculis decidere videtur ægrotanti, parumque debilitatis in oculis experitur, ſuperſtite tamen ſemper vehementi admodum capitis ad frontem ac ſupercilia dolore, quandoque non niſi poſt aliquot dies ex integro deſinente. Interdum vero potus aquoſi theati materiam morboſam diluendo et loco movendo fuere proficui, Cl. MEIER apud E. G. BALDINGERUM (*a*) narrat cœlibem feminam 40 annorum comeſto veſperi plurimo caſeo Hollandico cum albo pane, citra potum, ſomno ſe dediſſe. Sub auroram evigilantem ſenſiſſe vomituritiones, grave in ſtomacho pondus, cardialgiam vehementem, ſpaſmodicamque tenſionem lævo e latere ad ſcapulam usque excurrentem.

(*a*) Neues Magaz. für Aerzte 4 Band, 6 St. p. 513. ſq.

Vomitus promovendi gratia infuſi theati ad xij vaſcula intra breve tempus exhauſiſſe. At ſymptomata omnia citra vomitum velut ab incantamento evanuiſſe, feminamque convaluiſſe: utique ob dilutum tanta ocyus infuſi copia caſeum, atque ex ſtomacho affecto ad inteſtina compulſum. Alia (*a*) perinde mulier multa paſta farinacea comeſta, uberique hauſta deſuper cerevifia, in ſpaſmodicam incidit cardialgiam ad ſuffocationis usque metum. Hauſtis autem aliquot vaſculis primum decocti Caffée tum infuſi theati, omnia in geſta evomens ulteriori haud egebat remedio.

§. 44.

2. *Jus pulli* tenue aquoſum. Medicis Galliæ ſolenne. Apud POMME (*b*) ſeptuagenarius, oculo utroque e cataracta captus, et hypochondriacus, in ſummam ſubito incidit mæſtitiam cum variis hypochondriacis ſymptomatibus, inter quæ ſoda ſingultusque erant etiam, e neglecta medela in deterius

(*a*) Ibidem p. 514.
(*b*) l. c. p. 244.

euntes, donec et febris cum abdominis rugitu accedens eum opem quærere coegiſſent. Uſu ptiſanæ e pullis gallinaceis junioribus, injectisque ex ▽ª frigida enematibus, ac fotibus emollientibus abdomini adhibitis, primum ſingultus, tum ſoda quoque deſiit; demum et viſum lentibus opacis exemptis recuperaverat. Perinde (*a*) juveni monachæ, bilioſæ, plethoricæ, ac robuſtæ a vehementi ſolis æſtu et immoderato potu Caffée atrociſſima cardialgia cum rugitu ventris, vomitu, ſingultu, crebraque ſyncope et convulſionibus prehenſæ cum cardiaca nil opitularentur, ſyncope binis enematibus frigidis deſiit, cardialgia vero copioſo ptiſanæ pulli potu, diarrhœam bilioſam die 6to cauſante ſenſim conquievit. Ita et SAUVAGESII (*b*) ſacerdoti 60 annorum per ſemeſtre toto digeſtionis tempore ſtomachi contorſiones, motus, dolores, ac diſtractiones, cum lingua ſicca, ſed ſine ſiti, paſſo, conſentientibus etiam inteſtinis, et alvo adſtricta cum quodam in lumbis dolore, ac raro pulſu, cum jam debilitas et macies acceſſiſſet, poſt jura

(*a*) Ibidem q. 154. ſq.
(*b*) l. c. art. 21. n. 7. p. m. 136.

pulli ac narcotica hauſtum per menſem lac aſininum ſanitatem reſtauravit.

§. 45.

3. *Hydrogala, ſerum lactis.* M. RUCCERUS teſte G. H. VELSCHIO (*a*) ſodam in viro nobili frigidæ hydrogalæ potu percuravit, et J. G. HOYERUS (*b*) atrociſſimam cardialgiam cum ineffabili anxietate crebrisque lipothymiis a largiore olei ſuccini flavî doſi in hyſterica quadragenaria ocyus obortam copioſo lacte tepido cum aqua roſarum miſto potui ad vomitum usque dato utcunque ſedavit, reliquias vero, et calorem præternaturalem conſecutum, diaphoreticis antihyſtericis ſuſtulit. Perinde S. A. TISSOTUS (*c*) mulierem, cui barbitonſor ad ſopiendam cardialgiam ♀rum emeticum exhibuit, atroces inde dolores, animi deliquia, horribilesque convulſiones paſſam data ocyus copioſiſſima hydrogala ſuis a malis vindicavit; ſuperſtite tamen plures in dies tanta debili-

---

(*a*) Sylloge obſ. et cur. medic. epiſagm. 39.

(*b*) Miſc. nat. cur. Cent. 1. obſ. 53.

(*c*) l. c. 2 Band 8 Cap. §. 80. p. m. 234.

tate, ut licet, quam diu lecto ſe tenebat, ſanata videretur, ubi primum vero vel in lecto erecta ſedere tentaret, priſtina ſymptomata reverterint. Saturati ex radicibus althææ et conſolidæ majoris decocti uſu ſic ſatis convaluit; ſed priſtinam ſanitatem ne pluribus quidem poſt annis adhuc recuperavit. Porro (*a*) et alius mulieris meminit, quæ una cum puſione ſuo ab arcano quodam antipyreto (indubie arſenicali) peſſime mulctabatur; namque poſt choleram in matre 11, 17 in puello dierum tanta in ſtomacho et inteſtinis ſuperfuit ſenſibilitas, ut omnis cibus potusque atrociſſimos ſtomachi totiusque ventris dolores cauſarit cum ſuffocationis periculo, irrito vomendi conatu, habituali teneſmo, non ſedanda in matre ſiti et agrypnia, oculorumque doloribus, convulſionibus autem in puero et habituali pavore. Peſſimo conſilio his meris initio data theriaca et vinum rubrum cum nuce moſchata diu coctum. Auctor contra potui dedit aquam cum $\frac{1}{4}$ lactis, et in cibum unice tenuiſſimam pultem, ipſo etiam pane ob acorem vetito.

(*a*) Ibid. 3 Band 13 Cap. §. 35. p. m. 86.

Puer ſub hac diæta ſenſim plane convaluit; mater non ex toto, forte ob maturius mutatam diætam. Palliativo quoque ſcopo lac utile eſt. Ita novit TISSOT (*a*) matronam cancro ſtomachi cum plurimis atrociſſimisque doloribus laborantem, quos illa aliquot lactis calidi hauſti cochlearibus mitigare conſuevit.

§. 46.

4° *Amygdalæ*, earum nempe vel oleum, vel emulſio, vel ipſæ etiam amygdalæ manducatæ. Sic „ amygdalas, inquit JUNCKERUS (*b*), excorticatas n. 6. 8. contuſas et „ comeſtas præſentaneum ſæpiusattuliſſe ſolamen (in ſoda) certum eſt„. Et ſane J. E. DONAUERI (*c*) vir 50 annis major a multis annis graviſſima ſoda, ad vini præſertim potum repetente, afflictus, poſt multa in caſſum tentata, demum inſultum ſemper 5. 6. amygdalis (poſtea tamen duplo nume-

(*a*) Ibid. 2 Band 10 Cap. §. 164. p. m. 535.

(*b*) Conſpect. medic. theor. pract. Tab. 103.

(*c*) BÜCHNER miſcell. phyſ. med. math. A. 1730 Decembr. Cl. 4. art. 8. p. 1525.

ro opus fuit) dulcibus comeſtis profligabat. Quod remedium poſtmodo in aliis quoque ægris parem habuit ſucceſſum. Perinde cuidam poſt largiorem balſami 🜍ris doſin cardialgia pene ad inſaniam correpto data emulſione ex amygdalis et ſemin. melonum, injectis enematis, ac litu anodyno ad epigaſtrium facto, dolorem depulit C. KOELICHEN (*a*). Et J. L. HANNEMANNI (*b*) ſtudioſus ab emetico pulvere ſumpto dolorificam ſæpius per diem ſtomachi ac diaphragmatis convulſionem cum ſuffocationis metu, tantaque ventris elevatione ac pectoris motu, ac ſi animal intus ventrem pectusque moveret, paſſus, poſt multa caſſa, tandem olei amygdalarum cochlear ſæpius ſumens, emulſionemque ex amygd. dulcib. et ſem. 4 frigidis bibens, intra triduum ſanatus eſt. Apud A. THONERUM (*c*) mulier „ conqueſta de do„ lore punctorio circa regionem ventriculi, „ præſertim ſi anhelitus trahendus aut reſpi„ randum. Cum cauſa ignota, nec artificio-

---

(*a*) Act. phil. med. Hafn. Vol. 1. obſ. 121. p. 213.

(*b*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 4. obſ. 61.

(*c*) Obſerv. medic. Lib. 3. p. 135.

„ ſa conjectura aſſequenda, ad dolorem demulcendum anodynum exhibendum duxit:

„ ℞. Ol. amygd. dulc. rec. ℥ijβ.

„ cum juſc. gall. cal. exhib. Res ſtupenda! „ intra 3 horas acicula per vias urinales una „ cum lotio excreta cruciatus diſparuit. Qua „ occaſione illa intra corpus devenerit, omes „ latebat „. Haud ſecius F. LOSSII (*a*) auriga a deglutito globulo plumbeo acerbam nactus cardialgiam tanta cum anxietate, ut vix ullo ſe loco tenere poſſet, ab uſu decocti emollientis et in primis olei amygd. dulc. doloris expers evaſit; globulum vero injecto ſimul enemate promotum alvo demum excrevit. Perinde ancilla V. RIEDLINI (*b*) aliquot hebdomades intenſiſſimam cardialgiam ac ſyncopen ab oſſiculo cum braſſica deglurito ad omnia rebellem paſſa ſumpto demum oleo amygd. dulc. oſſiculum alvo excrevit, morbusque abhinc deſiit. Denique P. H. VOGEL (*c*) narrat juvenem 20 annorum circa declinationem gtavis purpuræ que-

(*a*) Obſ. med. Lib. 3. obſ. 11.
(*b*) Lin. med. ann. 1. Julii 2. p. 192.
(*c*) BÜCHNER l. c. A. 1728. Novembr. Cl. 4. art. 4. p. 1449.

ri cœpiſſe de intenſo cardiæ dolore, a quibusvis ingeſtis magis ſæviente. Sed cum adhuc primarii morbi habenda eſſet ratio, dolor ſibi relictus cum ipſo morbo diſceſſurus credebatur. Ille contra intra aliquot dies ita crevit, ut æger diu noctuque gemens præ anxietate nullo in ſitu requiem reperiret, ac ubi vel minimum quid aſſumpſit, mox $\frac{1}{2}$ hora atrociorem experiebatur dolorem, ut ex inſolitis ejus geſtibus indiciisque ſecuturæ epilepſiæ metus eſſet. Datum vero brodium ex rad. alth. ireos Flor. fl. roſ. alb. avena excort. alteratum cochleatim, ac ſubinde aliquantum ex oleo amygd. dulc. omnem ſenſim dolorem diſcuſſit.

§. 47.

5. *Mucilagines*, ut tragacanthi, pſyllii, cydoniorum, &c. T. BARTHOSINI *(a)* vir poſt acre catharticum in tantam incidit cardialgiam, ut per tres hebdomades nihil cibi præ dolore aſſumere valens fame prope perierit. Cumque varia necquicquam uſurpaſſet, uſu tandem tragacanthi cum ▽ª fl.

(a) Hiſtor. anat. rar. Cent. 6. hiſt. 21.

Roſmar. convaluit. Mucilaginoſorum uſu plures per ſe liberatos a cardialgia R. LENTILIUS (*a*) teſtatur, quos inter aurifex (*b*) unus, alter (*c*) vitriarius juvenis fuit, pauper et emaciatus, qui Gœppingenſes acidulas per 14 dies in caſſum bibens, tandem Auctorem conſuluit. Cardialgia annum jam duravit, ac nihil fere impune aſſumebat, quin dolor cum ardore ad fauces usque aſcendente conſequeretur. Data ergo MR^a mane, a meridie, et noctu ad cochl. ij, et inſultus tempore ad cochl. j, ſumenda:

℞. Mucil. ſem. cyd. ▽^a malv. extr. ℥ij
Syr alth. FERNEL. ℥j
Eſſent. anod. ℈j M.

Hora ante MR^am ſumebat tres cuſp. cultri e ♁^re

℞. ♁ HALY rec.
Spec. diatrag. fr.
Lap. 69 crud. cont. aa ʒij. M.

Acidulas moderate bibere pergat. Ab his in dies melius habuit, ac demum reduci domum utendum fuit mucilagine pſyllii ▽^a font. extr.

(*a*) Jatromnemat. Cap. 40. p. 182.
(*b*) Ibidem p. 178. ſq.
(*c*) Ibidem p. 181.

cochleatim, tum pulvere e farinæ rad. alth. p. jv. gumm. Arab. p. ij. et nuc. moſch. p. j. Refert idem Auctor (*a*) celebri cuidam medico ſolennem adverſus cardialgiam fuiſſe mucilaginem ſequentem:

℞. Rad. filic. conciſ. ℥ iij
Hordei deglumati M. jv. Coq. in
▽æ font. menſur. j per 12 horas, quovis bihorio identidem affundendo ▽æ $\frac{1}{4}$ menſuræ, donec magma pultis aquirat conſiſtentiam. Collæ per pannum colatæ ſumantur per 3 hebdomades m. et v. cochlearia ij. Unde „ cardialgiæ, inquit idem LENTILIUS „ (*b*), . . . ætiologia haud raro fundatur in „ abraſione periſtromatis internum ventriculi parietem inveſtientis, quod per humorum . . . acrimoniam fieri ſolet. Hinc „ munimento ſuo deſtitutus ſtomachus nihil . . . excedens perferre poteſt. Omni „ igitur opera eo nitendum, ut illud periſtroma reſtituatur; quod fit mucilaginoſis „.

(*a*) Ibidem p. 182.
(*b*) Ibidem.

§. 48.

6. *Vaniglia.* T. ZANETTI (*a*) refert monialem 30 annorum a ſemeſtri quotidie gravativam cardialgiam per vices tempore concoctionis recurſantem, ad quævis interna externaque contumacem, pati ſolitam, uſurpato per 30 dies mane jejuno ſtomacho Vanigliæ decocto convaluiſſe.

§. 49.

7. *Siliqua dulcis.* V. RIEDLINUS (*b*) vidit gravidam, quæ præter alia gravidis conſueta incommoda in primis ardore ventriculi tanto interdum affligebatur, ut querelas ei elicuerit, quem ſemel atque iterum etiam Theæ potus excitabat. Semper autem ſodæ huic opitulabatur ſiliquæ dulcis (quam propterea continuo apud ſe geſtabat) eſus.

(*a*) Nov. act. nat. cur. Tom. 5. Obſ. 41.
(*b*) Curar. medicar. millenar. n. 46.

CAPUT V.

ABSORBENTIA.

§. 50.

ABSORBENTIA quoque in curatione cum cardialgiæ, tum præſertim ſodæ, ubi ab acrimonia acida in ventriculo latente progignuntur, haud ultimum ſibi locum vindicant. In ſoda ſane paſſim ab omnibus commendantur, quorum varia ſelectu quodam facto M. ETTMÜLLERUS (*a*) recenſet H. RANZOVIUS (*b*) probatiſſimas uſu reperit binas ſequentes formulas:

℞. Sacch. roſar. veteris partes ij
♁ lap. 69 part. j
Boli Armen. pauxillum. M. F. ♁.

℞. Sacch. Canar. opt.
Cretæ aa ℥jβ.
Nuc. moſch. n iij M. F. ♁.

Adoleſcenti PAULLINI (*c*) ♁ *tegulæ* ad fugandam ſemper ſodam ſuffecerat. Aliis *lapi-*

(*a*) Opp. omn. T. 2. P. 1. p. 89.
(*b*) De conſ. valetud. Cap. 45.
(*c*) Vide §. 13.

des 69 erant ſatis. Sic S. G. VOGELII (*a*) juvenis quovis veſpere hora 10ª ſodam aliquot horarum pati ſolitus, ad varia rebellem, ſumpta aliquoties tempore inſultus lap. 69 citr. ℥ß ab eadem in poſterum evaſit immunis. Perinde narrat MARTEAU (*b*) adoleſcentem 15 annorum a multis fructibus crudis ac lacticiniis in graviſſimam ſodam ſpaſmodicam lapſum cum ructibus ac vomitu muci acidiſſimi, nec non vehementibus convulſionibus, ſæpe repetentem, et ad plurima remedia pertinacem, tandem largo lapidum 69 cum antiſpaſmodicis uſu brevi fuiſſe curatum. Ita etiam „ Colonellus quidam . . . „ quadragenarius ex compotatione circa no- „ ctem incidit in cardialgiam, ardoremque „ ventriculi, ad pectus cor imo ipſas fauces „ aſcendentem, intolerabilemque, ut me, „ inquit J. P. LOTICHIUS (*c*), conſilii cauſa „ accerſeret. In ore tamen, prout ajebat, „ ſicut in bilis orexi fit, nihil tale patieba-

(*a*) Verſuch. einig. med. pract. Beobacht. 21. Beob.

(*b*) VANDERMONDE Journ. de medicine &c. T. 4.

(*c*) Obſerv. medic. L. 4. C. 1. Obſ. 6.

„ tur. Præſcripſi igitur ex tempore talem
„ pulviſculum cum cereviſia calide aſſumen-
„ dum, qui

℞. Lap. bezoard. Or.
Magiſt. perlar. aa. gr. vj.
Ocul. 69 ℈j. M. F. ℥ tenuiſs. S. ℥
„ pro doſi. Interim ſequentes ſacculi vino
„ cocti externe ſuper furculam cordis alter-
„ natim, calide quoque applicarentur:

℞. Herb. menth. criſp.
—— abſinth.
—— artemiſ.
—— matricar.
Summit. lupul. aa M. jß
Sem. Cumin. ℨij
Fl. 3 cordial.
— primul. ver. aa p. iß
Baccar. juniper.
—— lauri tuſar. aa ℥ʒ
Rad. zedoar.
—— galang. aa ℨiij.
Cinnam. ℥ß
Garyoph.
Nuciſt. aa ℨijß. Incid. pro ſacculis
„ duobus, acu interbaſtandis in forma pyra-
„ midali, D. ad chartam. Die 8[a] Junii (i.
„ e. poſtridie) referebat, ab aſſumpto pul-

,, viſculo bis adhuc ſe ſe flagrantem iſtum ardo-
,, rem poſtliminio percepiſſe; ſed paulo poſt
,, omni dolore fuiſſe liberatum. Utebatur quo-
,, que ſacculis modo præſcripto; et cum nihil
,, mali incommodique amplius ſentiret, . . .
,, valedixi ,,. Quantarum etiam hic virium ſit 🜃^{a} *ſigillata*, docet V. RIEDLINI (*a*) matrona ad 50 annos nata, quæ ab aliquot annis cardialgiam vix non continuam cum pallore faciei paſſa, poſt multa irrito conatu uſurpata, demum uſu 🜃^{æ} ſigill. Sileſiacæ ex toto ſanata eſt. Hujus ejusdem remedii virtutem J. SCULTETUS (*b*) ,, ſumma cum admi-
,, ratione bis expertus eſt in enormibus ventri-
,, culi doloribus, qui neque aſſumptis neque
,, adhibitis ullis aliis remediis mitigari potue-
,, runt, niſi terra ſigillata ſyrupo conſolidæ ma-
,, joris attemperata ,,. Denique et *raſura eboris* cardialgias hujuſmodi fugat. De ſe ipſo narrat F. GHERLI (*c*), ſibi Aprili 1702 a cardialgia leviter occipiente cum anorexia ſomnos per vices interturbatos fuiſſe, quæ poſt remedia varia fruſtra adhibita demum Septem-

(*a*) l. c. n. 868.
(*b*) Armamentar. chirurg. Obſ. 80.
(*c*) l. c. Cent. 1. Oſſerv. 39. p. 119.

bri menſe (poſt lecta ZACUTI (*a*) verba: „ cum hac immani hydra luctatus ſæpiſſime „ oleum et operam perdidi. . . Admirabe„ ris, ſi dixerim, pluries eboris uſu hunc „ Herculeum morbum me domaſſe „) ſumpto in triduum mane raſuræ eboris ℈j dolor ad miraculum deſiit. Cumque ab hinc bis rediiſſet, autumno nempe ac vere, ad 3^am^ ſemper ejusdem remedii doſin iterum evanuit; nec niſi Januario 1709 revertit, haud jam ebore in caſſum ſumpto, ſed pilulis inferius (*b*) dicendis tantum expugnandus.

§. 51.

Cautelæ tamen circa exhibitionem horum abſorbentium non ſunt prorſus negligendæ, ſine quibus plus interdum uſus illorum obeſſe, quam prodeſſe, poſſet. Quarum præcipuæ fere ſunt:

1. *Doſis* abſorbentium non ſit nimia; nam etſi R. WHYTT (*c*) „ ſi ardor ac dolor

(*a*) Prax. med. admir. L. 2. Obſ. 8.

(*b*) Vide §. 72. n. 4.

(*c*) Beobacht. über die hypoch. u. hyſter. Zufälle 8. Cap. 4. §. d) p. m. 585.

„ ſtomachi ab acido proveniant, remedia „ terreſtria copioſe uſurpanda eſſe „ velit, metuendum tamen eſt, ne ſi plus eorum, quam ad acidum abſorbendum requiritur, ingeſtum fuerit, reſiduum illud cum uberiore ſtomachi muco in glebas coeat calculoſas, nullatenus poſtmodo diſſolvendas. Hujus modi caſum olim obſervatum refert P. BREYN (*a*), videlicet Eques Anglus robuſtus ac ſanus a nimio vini potu in inſula Barbados vehementem ex intervallis arthritidem patiebatur. Ab aliquot vero annis intemperantiſſime potanti ſoda accidit moleſta, quam depulſurus oculos 69 aliaque terreſtria abſorbentia vocabat in uſum cum palliativo levamine, ita ut, cum ſoda quotidie revertere-tur acrior, æger in dies magnam oculorum 69, cretæ, ſimiliumque copiam per aliquot annos abſumpſerit. Soda nihilominus ingraveſcente ſupervenit moleſta ponderis infra diaphragma ſenſatio cum vomitu, vehementique renum dolore; donec poſtremo A. 1794 æger 56 annos natus inter magnos dolores eſt exſtinctus. In cadaveris ſtomacho numeroſi reperti ſunt calculi variæ magnitu-

(*a*) LESKE l. c. 2 Th. n. 35. §. 1. p. 129.

dinis, quorum maximus, aliquatenus ramoſus, etſi ab extremis ejus aliquid avulſum fuerit, appendit nihilo ſecius ℨxxj pharmaceuticas; alterius pondus æquabat ʒjx; reliqui fuere minores, obrotundi, a magnitudine ſeminis papaveris ad piſi usque molem varie magni. Omnes hos calculos ambiebat lentus mucus, qui libero in aere ſiccatus in pulverem calculis ſimilem fatiſcebat. Principia horum calculorum non erant prorſus eadem; univerſim griſei erant cinereive coloris; nonnulli colore et ſoliditate lapidem bezoardicum occidentalem æmulabantur, pauci bezoard orientalem referebant; intrinſecus e lamellatis ſtratis conflati cernebantur. In renibus quoque præſto erat calculus ℨiij pondere, prioribus haud abſimilis, niſi quod e ſex globulis coaluiſſe videretur. Idcirco

2. *Miſcela* hujusmodi in caſibus, ubi acidi cum muco lento intra ſtomachum præſentis prudens adeſt ſuſpicio, abſorbentium cum aliis antacidis eſt facienda, quæ mucum ſimul incidendo ejus cum abſorbentibus unam in maſſam impediant coalitum, cujusmodi ſunt ſalia præſertim alcalina, et remedia amara, quæ tonum ſimul ſtomacho addendo, bilisque lentæ ac minus acris vices obeundo,

digeſtionem promovent. Nec inutile eſt ♂tem jungere abſorbentibus, ut qui ab acidis ſolutus robur debili ventriculo addat, velut HERMANNI (*a*) gravidæ res e voto ceſſit. Cautelam hanc a circumſpectis Practicis magni fieri, felices eorum oſtendunt curationes. Sic P. R. VICATII (*b*) „ fabri-
„ cator telarum tinctarum annos natus 45,
„ habitus phlegmatico - melancholici, ab 8
„ jam annis . . . cardialgiæ obnoxius erat,
„ et tandem adeo graviter ab ea adficieba-
„ tur, ut in mali exacerbationibus, quæ
„ pluries de die recurrebant, poſt enormes
„ vomitus, quos præcedebant immanes ven-
„ triculi et abdominis dolores, anxietates,
„ et dyſpnœa fere ad ſuffocationem usque
„ aucta, et convulſiones univerſi corporis,
„ in ſyncopem incideret, ut multoties pro
„ mortuo habitus eſſet. . . Jam per annum
„ integrum innumera remedia tentaverat,
„ præſertim ſtomachica, medicosque conſu-
„ luerat empyricos, ſed fruſtra, et plerum-
„ que malo cum effectu; quod non mirum,
„ cum medentes veram mali cauſam præter-

(*a*) Vide §. 23. n. 1.
(*b*) l. c. append. Obſ. 34. p. 301. ſqq.

„ vidiſſent; quæ tamen facillime erui poterat ex ructibus et vomitibus acidis, tum ex aceſcentium conſtanti noxa, et ex juvamine ab alimentis contrariæ naturæ . . . Ultimo loco Medicus ſuaſerat uſum elixirii vitrioli MYNSICHTI; ſed inde . . . ſtatus ægri valde exaſperatus erat. . . . Igitur . . . imperata diæta antacida initium curandi fecit VICAT a purgatione, præſcriptis . . . xxv granis pilular. tartarear. SCHROEDERI, quibus, cum ſuum effectum laudabiliter præſtitiſſent, ſuccedere fecit hunc pulvem:

„ ℞. ♁ abſorb. Viennenſ. a KLEINIO deſcripti ſtomachici BIRKMANNI,

„ ſingulorum partes æquales. M. S. ℈j ter de die. Præterea ut vinum quod æger valde appetebat, ad vires debiliſſimas refocillandas poſſet bibere, ſine mox ſubſequenti ardore ventriculi, et vomitu, quod huc usque jam ab aliquot menſibus eveniebat, ſuaſit, ut in cyatho vini veteris generoſi ſolveret ℨß ſalis lixivi abſinthii. Quo facto revera vinum non ſolum non revomebatur, ſed etiam ægrum mire reficiebat. Purgationem bis in ſeptimana repetere juſſit. Elapſis tunc 10 diebus, cum

„ æger in dies multo melius ſe haberet, „ pulveri prædicto, a cujus longo uſu timebat, ne ſtomachus gravaretur, ſubſtitui „ TR^am^ ſtomachicam Lipſienſem, in pharmacopœa Wirtemberg. traditam. Quæ „ poſtquam per 10 alios dies adhibita fuiſſet, hominem optime reſtitutum invenit „. Eadem fere abſorbentium cum ſtomachicis miſcela reperitur in formula VERZASCHAE (*a*). Huc etiam referendum eſt lixivium ſaponariorum, remedium antacidum alcalino-abſorbens, de quo R. A. VOGEL (*b*) „ neque „ diffiteri poſſum (ait), me ope lixivii ſaponariorum ad ℥β per intervalla epoti feminam ab atrociſſimo ardore ſtomachi, cui „ multa abſorbentia fruſtra oppoſita fuerant; „ brevi liberatam vidiſſe „. Et R. WHYTT (*c*) perinde „ aliquoties vidit cardialgiam a paſtu cum vomitu, ſumptis quotidie ſaponis ℨij, ſanatam; aliis vero ſapone plus „ profuit ½ pinta aquæ calcis tepidæ ter per „ diem pota „.

(*a*) Vide §. 72. n. 5.

(*b*) Diſſ. de curat. cancri occulti et aperti per aquam calcis vivæ potum §. 6. (Reſp. G. M. H. BAUMBACH 4. Gœtting. 1769.

(*c*) l. c.

3. *Nocumentum* etiam adferunt manifeſtum abſorbentia in ſoda, quoties hæc non tam ab acido, quam aliunde, præſertim vero ab acrimonia rancida e pinguibus aſſumptis collecta, proficiſcitur, tametſi ad tempus levamen adferant; iſtud enim haud eſt diuturnum, ſimulque fatua hæc remedia appetentiam dejiciendo, alvumque remorando, malum poſtmodo augent. Narrat D. FISCHERUS (*a*) monachum gibboſum bilioſumque a cibis oleoſis incidiſſe in ſodam usque adeo moleſtam, ut cum ante tum poſt paſtum perinde afflixerit. Ab uſu cretæ et lap. 69 levamen, at non diuturnum, percipiebat, malo iterum deterius reverſo. Sæpe poſt ſummam anxietatem lympha tenuis e ſtomacho erupit. Vires adeo abibant, ut vix 30 paſſus conficere ſolus poſſet æger; appetitus vix ullus ſuperfuit; alvus evaſit ſegnis. Idcirco 5° quovis die poſt digeſtiva præmiſſa dabatur catharticum, ceteris diebus exhibita præcipitantia cum ſalinis fixis ex aqua cichorei: atque his demum prorſus convaluit.

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 37. A. 1726. Auguſt. Cl. 2. art. 3. §. 4. p. 193.

4. *Bilis* inſpiſſata quandoque, nil proficientibus contra acorem abſorbentibus, iis eſt ſufficienda. Sic M. E. PLOCHI (*a*) puella ructibus acidis et ſoda vexata poſt fruſtra exhibita primum eccoprotica, tum ℞am amaram liquore 🜃æ fol. 🜿ri remixtam, ac demum etiam (vetito ſimul lacte ac omni pene vegetabili cibo) magneſiam ſedulo uſurpatam, tandem ſumpta quotidie in pilulis bilis taurinæ inſpiſſatæ ʒβ, et hauſtis deſuper, ad alvum initio inde fluentem compeſcendam, ſemper cochlearibus ij ▽æ cinnamomi, acor brevi evanuit.

(*b*) Medic. Beobacht. n. II. p. 95.

CAPUT VI.

OPIUM.

§. 52.

OPIUM, dolorum quorumvis exoptatiſſimum ſolamen, iſthic profecto etiam remedium eſt nullo auro æſtimandum; quippe quod mediis in cruciatibus porrectum dolorem aut magnopere imminuit, aut prorſus abigit vel per inducias vel nunquam etiam rediturum. Alias quoque mature ſumptum reverſionem mali intercipit. Sunt nihilominus etiam caſus, ubi ne hilum quidem proficit ob magnitudinem affectionis, cauſæque vim vehementem.

§. 53.

Indicant illius uſum præſertim

1. *Dolor* vel ad alia quæque rebellis, vel usque adeo atrox, ut metus ſit futurarum convulſionum. „ Aliquando item, inquit L. RIVERIUS (*a*), ubi ex doloris ve-

(*a*) Prax. med. L. 9. C. 10. p. m. 347.

„ hementiâ periculum imminet, ad narco-
„ tica eſt confugiendum, quibus prudenter
„ exhibitis admirandus non raro ſubſequitur
„ effectus „: id quod et MICHELOTTII (*a*) matrona experta eſt, et omnium inſtar ſenator RAYGERI (*b*).

2. *Hyſterica, hypochondriacave* morbi *indoles*: quo in caſu opium cardialgiam prorſus perſanat, velut in RIEDLINI (*c*) viro accidit. Porro „ in moniali quadam ab
„ aliquot annis nigro vomitu aquoſo acidiſ-
„ ſimo cum ventris torminibus ex ſplenis
„ diſcraſia laborante graviſſimam et diutur-
„ nam, nocte plerumque tota cruciantem,
„ cardialgiam omnibus aliis remediis irritis
„ laudano opiato 2^a et 3^a vice exhibito ſu-
„ ſtulit „ P. SPINDLER (*d*), qui alias etiam
„ idem in tricceſimatore . . . feliciter tenta-
„ vit ex acris et mordacis materiæ vomitu
„ cardialgiam perpeſſo, cui quidem ocul. 69
„ ℥ ʒj aliquantulum contulit, ſed auferre
„ eam, niſi exhibito laud. Cæſ. MYNS. gr. j,

(*a*) l. c.
(*b*) Vide §. 29. n. 2.
(*c*) Vide §. 35. n. 4.
(*d*) Obſerv. med. 40.

R

„ nequivit „. Neque ſecius opium ſe geſſit in caſu apud A. HEIDE (*a*): „ matrona quin-„ quagenaria dolore acuto circa ſtomachum „ afficitur, poſtquam cœnaſſet carnem cum „ aceto toſtam. 🜄 cum oleo aniſi ſumptus „ vomitu rejicitur, adeoque nihil levaminis „ attulit. Præſcribo hauſtum ▽ ſtillatitiæ „ cum laudano opiato: dolor ſtatim remiſit; „ et ægra hoc unico medicamine curatur „. A. DEODATUS (*b*) meminit matronæ venuſtæ a luxato femore deſidis, quæ inde in varia incidit mala, præſertim ſtomachi morſus et gravitatem, vel maxime a cibo, cum incaleſcentia et frequentibus hora potiſſimum 3ª pomeridiana leipopſychiis pene ad aſphyxiam usque. Solo autem extracti ſiderei ope convaluit. Poſt menſem cardialgia reverſa eſt, ſupervenitque convulſivus cervicis ac brachiorum motus dolorificus admodum, et aphonia. Quæ tamen reſumpti prioris remedii uſus denuo ſuſtulit. At luculentius huc faciens exemplum non novi illo, quod T. DIEMERBROECK (*) refert: juvenculam

(*a*) Obſ. 32.
(*b*) Valetudinarii p. 20.
(*) Obſerv. med. 93.

ad 19 annos natam 19ª Junii acerbiſſimus totius ſtomachi prehendit dolor, modo ad dextrum modo ſiniſtrum latus, ut plurimum vero ad lumbos fere excurrens, cum vomitu jam mitiori jam vehementiori omnium ingeſtorum, et ſubinde etiam aquæ nigricantis pituita tenaci aliquatenus remixtæ ad ℔ j. jß, innatantibus ei plerumque 4 vel 5 vel pluribus corpuſculis avellanam parvam magnis, colore et conſiſtentia butyro recenti, ut ovum ovo, ſimillimis. Ab hinc poſt 2 vel 3 horarum levamen redibat dolor. Nulla aderat febris, nulla vel jecoris vel lienis infarcti, nec ſabuli calculive renalis indicia; menſes et alvus ſecundum naturam; diæta rite ordinata. Poſt varia in et externa necquicquam in uſum vocata, ſub noctem diei 29 Junii dati philonii Rom. cum euphorbio parati ℈ij ex pauxillo vini ſomnum, poſt omnes a principio morbi dies noctesque inſomnes, 4 horarum attulere, poſteroque die dolor quidem rediit, ſed obortis, ut ut difficilibus, ſubinde ructibus levabatur: veſperi ergo philonium, ut heri, iteratum. Julii 1ª ructus inde faciliores, datoque denuo ſub noctem philonio dolores inſequenti die mitiores facti ſine vomitu; ſiquidem ægra hocce

die primum jus pulli retinuerit. Julii 3ª conſtipatam alvum pilulæ RUFFI ſolverunt. Poſtridie dolores exacerbati cum vomitu, nihilque proficientibus aliis quibusvis remediis die 6ª Julii dare oportuit philonii ℈ijß: unde poſt mediocrem ſomnum dolor ſequenti die mitior. Idcirco binis veſperis data eadem philonii doſi, mane diei 9æ Julii alvus pilulis RUFFI mota, et per quatriduum veſperi exhibitum philonium dolores demum cum vomitu in totum ſuſtulit, atque ægrota reverſo appetitu convaluit. Verum reverſo 23ª Novembris dolore cum vomitu poſt alvum pilulis RUFFI reſeratam veſperi iterum philonium datum cum levamine, dandum et inſequentibus diebus, ni alio medico ei diffidente et contradicente omitti, aliaque illius in locum ſuffici debuiſſent; ſed cum nihil ab his utilitatis ægra caperet, philonium tandem denuo quotidie ſub noctem per 12 continuos dies datum, et 4º quoque die alvo pilulis RUFFI ſubducta, morbum ita profligavit, ut toto inde ſexennio non amplius redierit; nec rediturus porro etiam videbatur. Interdum vero etiam in irritabilibus id genus corporibus opio opus eſt ante evacuantium uſum ad ſpaſmos prima-

rum viarum evacuandam materiam loco moveri vetantes abolendos: quo facto evacuatio ſuccedit promptior. Narrat DE LA METRIE (*a*) hominem exhauſtum aſſumpto multo lacte coacto, quod acidum ſtomachi magis etiam coagulavit, in violentam cardialgiam incidiſſe. Poſt hauſtam ocyus calidam, oleum amygd dulc. et jus vitulinum vel pulli, injectaque emollientiſſima enemata, datum catharticum e ſenna, rheo, et manna ſemel, iterum, tertium, et quartum. A poſtremo grumi lactis ova columbina æquantes, durique alvo prodibant. Nihilo tamen ſecius creſcente nervoſarum partium irritatione vomitus evaſere aſſidui cum vehementi ſingultu. Idcirco poſt venam bis tuſam datæ L. L. gtt. xx hæc ſymptomata ſopivere. Inde iterum cathartico dato duriſſimus lactis grumus, figuram ovi habens, alvo excretus eſt. Denique haud minoris eſt energiæ opium ad ſtomachi dolores cum vomitu poſt paſtum ſemper ingruentes prævertendos, quos nimia nervorum ventriculi vel teneritudo vel ſenſibilitas, a menſium anomalia aut ſanguinis acrimonia ad eosdem depoſita oriunda, progignit; ſi ante alimentorum aſſumptionem

(*a*) Obſerv. de Medec. pratique 48. p. 94.

exhibeatur. „ In hujusmodi caſibus, inquit „ R. WHYTT (*a*), nullum tam egregie tam„ que celeriter profuiſſe vidi remedium, ac „ laudanum, ſi hora una maturiusve ante „ prandium aut cœnam aſſumptum eſt „ : biniſque id luculentis confirmat hiſtoriis, nempe femina cœlebs 24 annorum, inordinatos habens menſes incidit in cardialgiam, et non ita multo poſt per 8 vel 10 dies oborta poſt quamlibet cibationem nauſea non ante conquieſcebat, quam vomitu omnia rurſus ejeciſſet ægra. Idcirco ſumpſit Ypecacuanham, compluresque elixirii ſacri cathartici ac TRæ rhei amaræ doſes, uſurpavitque vinum rubrum calidum cum cinnamomo et nuce moſchata, ac Julapium ex aqua menthæ piperitidis cum ſpiritu volat. oleoſo; verum incaſſum. Cumque ſomnus etiam non pro eo, ac par eſt, adeſſet, ſuaſit Auctor cubitum eunti laudani gtt. xx; a queis nox quietior ſecuta, quin tamen vomitus poſtero die præpediretur. Sequenti veſpere hora ante cœnam uſus laudani repetitus vomitum non modo poſt cœnam, ſed etiam poſt jentaculum ſequentis diei præpedivit; vomuit nihilomi-

(*a*) l. c. p. m. 582. ſqq.

nus ægra a prandio. Aucta vero laudani ante cœnam ſumendi doſis usque ad gtt. xxv intra 3 vel 4 dies cum cardialgiam ac nauſeam tum vomitum quoque alimentorum ſuſtulit. Alia itidem 30 annorum, maritata, ſæpenumero ſtomachi acorem, inflationem, ac dolorem, hisque ſuccedentes catarrhi ſuffocativi inſultus, experta, querebatur ſimul de ſenſatione corporis intra fauces hærentis, de flatulentiis, tantaque ventriculi debilitate ac dyſpepſia, ut a quovis cibo, præter panem vinumque, vel pauxillum pulli teneri cocti aut aſſati, dolores nauſeæ ac vomitus conſequerentur. Parum proficiente uſu emetici, elixirii ſacri, corticis Peruviani, corporisque motu, ut hora ante prandium aliquid laudani ſumeret, ſuaſit WHYTT: unde, quamquam non ultra gtt. xvj ægra unquam progreſſa ſit, cibi et melius facta eſt appetens, et ſanorum more digeſtio peragebatur; nec aliud quid, præter ſitim a meridie, incommodi ab uſu laudani perſenſit.

3. *Alvus conſtipata* ob ſpaſmos tubi inteſtinalis a ſtomachi ſpaſmo oriundos; quo in caſu opium alvum reſerantibus additum eorum efficaciam pulchre adjuvat, ſine quo iſta ſæpe in caſſum uſurpantur. Suaſere hunc

in finem uſum opii cum RIVERIUS (*a*) tum ETTMÜLLERUS (*b*).

4. *Emetici* uſus prægreſſus, de quo jam ſuperius (*c*) mentio præceſſit.

5. *Vermes* denique in ſtomacho ſtabulantes eatenus etiam opium expoſcunt, quod iſtud et anthelminticæ ſit virtutis, et emeſin ex accidente in verminoſis cauſare ſit viſum, qua inſecta ejuſmodi feliciter fuerunt ejecta. Sic P. J. SCHENFELDERI (*d*) ruſticus faber 50 annorum integro pene anno lancinanti mordentique cardialgiæ obnoxius, parum proficientibus variis internis externisque remediis, cum A. 1662 die 13 Maji dolorem hunc atrocius multo, quam ante, pateretur, ſumptis ex vino ſpeciebus hieræ picræ GALENI ad ℈jv aliquatenus levatus eſt; verum cum poſtero die recrudeſceret dolor cum anxietate ac ructibus acidis citra ſitim, ad vehementiam ejus leniendam dabatur bolus ex mithridat. DAMOCR. theriac. ANDROM.

(*a*) l. c.

(*b*) l. c. p. 85.

(*c*) Vide §. 34. n. 3.

(*d*) Hiſtor. enarr. et curat. medic. Lib. 1. hiſt. 2.

aa ʒß philon. Roman. ℈ß cum ſyr. de ſcordio et ſaccharo paratus, quo ſumpto homo vomuit aquam acidam ac ſalſam cum verme erucam referente, atque hoc rejecto prorſus convaluit.

CAPUT VII.

NERVINA.

§. 54.

NERVINA aromatica, incidentia, roborantia, antiſpaſmodica, excitantia, poſt præmiſſa hactenus recenſita remedia, ſiquidem iis opus fuerat, mature juſtaque doſi exhibita, tonum ventriculi amiſſum reſtaurando, languentesque nervos excitando aut nimis ſenſiles turbatosque pacando, et ulteriores eorum turbas præpediendo, ſimulque digeſtionem emendando, cardialgiam ſæpe tollunt præſentem, reverſionesque ejusdem inhibent. Enimvero illorum uſu cardialgiam et G. HARRIS (*a*), et P. POTERIUS (*b*), profligarunt. Nominatim autem hic efficaciora ſe ſe præſtiterunt

§. 40.

1. *Antiemeticum* RIVERII, e ſucco citri cum alcali lixivo vel lap. 69 q. ſ. para-

(*a*) Obſerv. med. 9.
(*b*) l. c. Cent. 3. Cap. 28.

tum, atque ſub ipſa effervescentia hauſtum; fixus enim aer copioſe tunc inde ſe ſe expediens ventriculi ſpaſmos mirabiliter ſedat. Sic H. M. MARCARDI (*a*) puerum novennem, hyſterica matre natum tanta invaſit cardialgia ſpaſmodica, ut inter vehementes clamores celerrime omnem in lecto ſitu ſitum experiretur, lectoque exſiliens cultro recludere ventrem vellet. Verum ⊖ Abſinthii ʒß in ▽ª ſoluta cum ſucci citri cochl. ij ſub effervescentia deglutita dolor continuo levabatur, ſequente paulo poſt vehementi vomitu; cumque haud diu poſt dolor, mitior quidem, reverteretur, iterato remedio denuo ceſſit, ſecuto rurſus vomitu, huncque longiore quiete: tertium demum, multoque jam mitiore, malo repetente idem remedium omni $\frac{1}{4}$ horæ imperatum, cujus a binis doſibus morbus omnis citra vomitum deſiit, ſomno ſubſequente. Haud ſecius in ſoda „ euporiſton, inquit R. LENTILIUS (*b*), cui- „ dam Nobili debemus, qui pomum citrium „ cum oculis cancri contuſis ſemper, etiam „ in itineribus, ſecum portabat; et quoties

(*a*) Medicin. Verſuche 2 Th. n. 5. p. [illegible]
(*b*) Jatromnem. theor. pract. P. 2. C. [illegible]

„ affligeretur ſoda, deciſum a pomo citrio „ orbiculum oculorum 69 ♅ conſpergebat, „ cumque ſic præſentaneo cum juvamento „ deglutiebat: quod aliis poſtea ſuaſum idem „ juvamen attulit „. Nihil tamen hoc antiemeticum HEMMANNI (*a*) ægræ ſolatii præbuit.

§. 56.

2. *Vinum* aut ſimplex aut varie medicatum. „ Ego, inquit CAES. MARESCOTTI (*b*), qui a pueritia cardialgiæ obnoxius eram, ex calidi vini potu maximum „ levamen percipio, ſperoque quam primum „ me omnimode ab illa liberatum iri: ac „ proinde gratias ago cumulatiſſimas Cl. Medico ob hoc divinum . . . inventum, et „ famigeratiſſimo MURATORI, qui authorem „ impulit ad illud publici juris faciendum „. *Vinum* etiam *abſinthites* quantum ad reliquias cardialgiæ billioſæ abolendas, ejusque recidivas præcavendas, valeat, PLATERI (*c*)

(*a*) Vide §. 43.
(*b*) Tract. de variolis p. 181.
(*c*) Vide §. 22.

Patricia, aliique ſunt experti. Porro narrat v. RIEDLINUS (*d*) Abbatem quemdam fruſtra variis adverſus moleſtiſſimum ſtomachi ardorem uſurpatis, tandem a *vino muſcato* ſemper levamen percepiſſe.

§. 57.

3. *Saſſafras* ligni decoctum. P. POTERII (*b*) „ monachus . . . annos 35 natus in„ ſignem ventriculi dolorem a nonnullis men„ ſibus patiebatur, cui nihil profuerant pil. „ de hiera, maſtichinæ, ☿es digeſtivi, ſyr. „ de abſinthio, ▽æ Tetuccianæ, &c. extra „ fotus, litus, olea, unguenta, et cerata. „ Tandem uſu decocti ligni ſaſſafras ad 20 „ dies convaluit „.

§. 58.

4. *Cicuta*, ſi cardialgiam infarctus viſcerum abdominalium cauſant, hoſce reſerando, nervosque excitando, illi auſpicato mederi eſt obſervata. Si J. QUARIN (*c*)

(*a*) Curar. medicar. millenar. n. 447.

(*b*) l. c. Cent. 3. Cap. 31.

(*c*) Tentam. de cicuta Cap. 2. caſ. 17. p. 39.

„ vir 40 et aliquot annorum (ait) dolores
„ per longum tempus in ventriculo et ab-
„ domine ſentiens, non appetens, ab inge-
„ ſtis anxietates magnas patiens, ſtranguria
„ ſimul laborans, noſocomium petiit. Eum
„ examinans nil niſi epigaſtrium et hypochon-
„ dria juſto duriora et tumidiora cum ca-
„ chectica corporis conſtitutione inveni.
„ Audivi, medicamenta plurima aptiſſima...
„ ei fruſtra ordinata fuiſſe: cicutam itaque
„ exhibui, et ſpatio aliquot ſeptimanarum
„ eum a doloribus, anxietatibus, ſtrangu-
„ ria liberum, bene appetentem, cum ſat
„ bono faciei colore dimiſi„.

§. 59.

5. *Chamæmelum*, ac *mentha*, utrumque ſtomacho, omnique tubo inteſtinali peramicum. F. HOFFMANNUS (*a*) impenſe ad cardialgiam commendat chamomillæ vulgaris flores, aquam, oleum, extractum, decoctumque, et ægrotorum Vratislavienſium (*b*) „ vinum, cui chamomilla fuit infuſa, cum

(*a*) l. c. cautel. §. 2.

(*b*) Hiſtor. morbor. Vratisl. A. 1702. p. 350.

„ inſigni fructu quidam hauſerunt „. Præſtantiſſimum ad cardialgiam remedium J. HARTMANNUS (*a*) eſſe ait chamæmeli oleum ſaphyrinum ad gtt. 4. 5. cum aqua menthæ. Apud AMATUM (*b*) „ qui de oris ventriculi dolo„ re conquerebatur vir effeminatus, evo„ mere non potuit. Ceterum ab injecto cly„ ſterio, quo alvus recte reſpondit, ℥iij „ ▽* fl. chamæmeli calidæ ebibit, a cujus „ potu dormivit, et optime valere dixit „. Hinc multo etiam in uſu hæc planta P. FORESTO fuit, cujus ichthyopola (*c*) ingenti cardialgia, clamores et inquietudinem præ nimia anguſtia exprimente, laborans hauſto decocto fl. chamomillæ in communi cereviſia, emiſſis ructibus, et in ſudorem ſolutus, incantamenti inſtar ab omni dolore liberatus eſt. Cum catharticis chamomillam Romanam jungere amat VICAT (*d*). *Mentha* vero *piperitis* præſertim hic a T. KNIGGE (*e*) reperta eſt efficax, cujus rei quinque hiſto-

(*a*) Pract. chymiatr. p. m. 42.
(*b*) l. c. Cent. 5. curat. 39.
(*c*) l. c. Obſ. 20.
(*d*) ll. cc.
(*e*) Commentat. botan. med. de mentha piperit.

rias profert. Nimirum (*a*) virgo 29 annos na-
„ ta, texturæ debilioris et mollioris, phleg-
„ matica, inde a tenera infantia valetudi-
„ naria, anno ætatis 12° elapſo magis ægro-
„ tare cœpit. Medicus adhibitus pro moli-
„ minibus imminentis profluvii lunaris ha-
„ bens morboſos hoſce affectus, martialibus
„ illud provocare tentavit. Anno ætatis 14°
„ menſes prima vice fluxerunt; inde ab eo
„ tempore vero ſemper irregulares et nimii
„ fuerunt adeo, ut plerumque poſt 3 ſepti-
„ manas, imo interdum elapſis diebus 14,
„ redirent, et per 8 non nunquam dies con-
„ tinuarent. Hac inſigni hæmorrhagia ſæ-
„ pius recurrente corpus puellæ non potuit
„ non valde debilitari. Sub finem anni præ-
„ teriti tandem tam enormem ſanguinis ja-
„ cturam paſſa eſt, ut omnes de vita ejus
„ penitus deſperarent; attamen aptis reme-
„ diis hæmorrhagia ſuperabatur, et ægra in
„ tantum reficiebatur, ut lectum poſſet de-
„ ſerere; ſed inde ab eo tempore corporis
„ ſumma remanſit debilitas cum aſthmate
„ moleſtiſſimo adeo, ut fere ſingulis nocti-
„ bus feneſtris apertis liberum aerem quære-

(*a*) Ibidem §. 24. p. 27. ſqq.

„ re cogeretur ægrota; genæ naturali deſti„ tutæ purpura quaſi emortuæ videbantur; „ totumque corpus ictericum habebat colo„ rem. His acceſſit palpitatio cordis; ſum„ ma laſſitudo; tumor pedum œdematoſus; „ cardialgia vehemens, ſenſusque in regione „ ventriculi; quaſi hoc viſcus vinculo quo„ dam ſurſum ſublatum conſtringeretur; ruc„ tus frequentes inodori, appetitus dimi„ nutus, alvus modo libera modo obſtructa; „ lingua tamen puriſſima; pulſus debilis; „ verſus veſperam magis incitatus, ſenſus „ modo caloris modo frigoris, menſes ſem„ per nimii et irregulares. In hoc ſtatu in„ veni ægrotam vocatus in auxilium III. „ Non. Jul. In cauſam omnium dictorum „ malorum inquirens facile vidi, a cachexia „ et ſumma corporis debilitate plurima eſſe „ derivanda; cardialgiam vero et aſthma a „ crebrioribus ſpaſmis. Igitur ſolis robo„ rantibus et antiſpaſmodicis opus hic eſſe „ credidi; eamque ob cauſam optima ſelegi, „ nimirum corticem Peruv. et martialia. „ Utrumque autem hoc medicamentum ægro„ ta plane ferre non potuit; ſed (quod mi„ rum mihi viſum eſt) poſt aſſumptam quam„ libet doſin dolores pungentes in pectore

„ ſenſit. Ergo ad mentham piperitidem, „ tanquam egregium roborans, ſtomachi- „ cum et antiſpaſmodicum confugi, et exhi- „ bui herbæ ℈j cum aliquot granis elæoſac- „ chari pro doſi, tales duas quotidie ut aſſu- „ meret, ſuaſi. Cum his conjunxi diætam „ congruam, in primis frequentem corporis „ motum, et denique crebras pedum frictio- „ nes. In hac puella mira revera effecit „ mentha piperitis. Aſſumpta prima doſi „ ſtatim inſigne levamen ſecutum eſſe mihi „ retulit ægra; poſtquam in ventriculum per- „ veniſſet medicamentum, gratiſſimum in illo „ ſenſum ſecutum, nec aliter ipſi fuiſſe, ac „ ſi aliquid in regione ejus conſtrictum et „ ſurſum tractum ſolveretur et demitteretur. „ Noctem ſe tranſegiſſe tranquillam, nullo „ inſultu aſthmatico turbatam; cardialgiam „ inde ab eo minuto temporis remiſiſſe, ne- „ que huc usque rediiſſe; appetitum melio- „ rem ſequenti die, animumque hilariorem „ fuiſſe; ructus tamen et ſenſum alternantis „ caloris et frigoris eosdem eſſe. Bono hoc „ ſucceſſu excitatus idem medicamentum per „ ſat longum tempus continuavi, et lætus „ vidi, in dies magis convaleſcere ægrotam. „ Symptomata ſupra nominata plane ceſſa-

„ runt, excepto leviori interdum, ſed raro „ aſthmate poſt iram redeunte; genæ ſenſim „ ſenſimque ſaniori, ſicut totum corpus na- „ turali iterum, colore tingebantur; tumor „ pedum decreſcebat; alvi excretio natura- „ lis fiebat; vires in dies adaugebantur; ſed „ cordis palpitatio quamvis diminuta tamen „ adhuc reſtabat. Die III. Non. Auguſt. „ menſes iterum apparuerunt, poſtquam per „ 6 ſeptimanas emanſerant, et per 5 dies „ fluxerunt. Tandem etiam œdema pedum „ diſparuit, et palpitatio cordis remiſit pe- „ nitus, pulſusque ut in ſano homine vi- „ brare incepit. Menſes quoque tempore „ juſto et juſta quantitate fluere cœperunt, „ et per 4 dies continuarunt. Atque ut rem „ in pauca conferam, poſtquam per 9 heb- „ domadas perpetuo continuaverat, menthæ „ uſu ægrota perfecte reſtituta eſt adeo, ut „ nunc firma gaudeat ſanitate „. Altera *(a)* itidem „ virgo 19 annos nata, phlegmatica, „ corporis ſpongioſi, a prima infantia gra- „ ves perpeſſa morbos, tandem in ſummam „ incidit cachexiam. Hæc curæ meæ tradi- „ ta poſt 6 menſes reſtituitur quidem, ſed

(*a*) Ibidem §. 32. p. 34.

„ non perfecte; nam ſupereſt ſemper appe-
„ titus depravatus, cardialgia moleſtiſſima,
„ flatulentia et inflatio ventriculi. Omnia
„ hæc mala a debilitate ventriculi, ejusque
„ ab aere dolorifica expanſione derivans de-
„ di ℥ em menthæ piperitidis, cujus 6 doſes
„ a malis nominatis plane liberarunt ægro-
„ tam „. Porro (*a*) „ puero 14 annorum
„ et puellæ undevigeſimum agenti annum
„ etiam cardialgia et inappetentia laboranti-
„ bus idem medicamentum optimo cum effec-
„ tu præſcripſi. In poſteriori caſu varia
„ ſtomachica jam ſine fructu tentata fue-
„ rant „. WENDT quoque binis in feminis
hoc ipſo remedio cardialgiam ſuſtulit. Pri-
ma (*b*) „ annorum 31 femina ſedentario vi-
„ tæ generi, duabus quotannis V. S. et uſui
„ multorum medicamentorum aſſueta optima
„ ſanitate frui videbatur, bene curata cute
„ nitida; etſi diæta ejus minus laudabilis
„ eſſet. Ante biennium vero variis vexari
„ cœpit malis quorum præcipua erant deli-
„ quia animi ſubito invadentia, frigus ex-
„ tremitatum, anxietates, palpitatio cordis,

(*a*) Ibidem §. 33. p. 35.
(*b*) Ibidem §. 34.

„ vertigo, artuum dolores, cardialgia, et
„ fluxus menſtrui imminutio, interdum etiam
„ purpura chronica, at breviſſimæ duratio-
„ nis. Horum ſymptomatum vera cauſa diu
„ non detegebatur; et ideo aquæ carmina-
„ tivæ, pilulæ balſamicæ, et ſemicupia ad-
„ hibebantur, ſimulque locus habitationis
„ mutabatur ſine ullo fructu, ſed potius cum
„ evidenti corporis detrimento. Tandem
„ Cel. Præceptor in auxilium vocatus modi-
„ cam V, S. inſtituit, ſanguinemque invenit
„ tenaciſſimum: propterea illum ſtuduit cor-
„ rigere, melioris digeſtionis rationem habe-
„ re, crebrioremque corporis motum ſuaſit,
„ tam bono cum ſucceſſu, ut malis ſupra
„ nominatis remittentibus ægra meliori ſani-
„ tate frueretur. Interim vero cardialgia,
„ quæ ſæpius ſpaſtica fuit, adhuc per 6 men-
„ ſes duravit, etſi efficaciſſima interna et
„ externa remedia in uſum vocarentur. Tan-
„ dem præſcribebantur 4 doſes menthæ pi-
„ peritidis ex gr. 15 herbæ et 5 elæoſaccha-
„ ri, quæ levamen afferre cœperunt; 4 aliæ
„ doſes cardialgiam ſedarunt, et per 3 men-
„ ſes et 2 ſeptimanas plane ab illa libera-
„ runt ægrotam. Poſtea leviores quidem
„ interdum redierunt inſultus; qui vero

„ ſemper unica menthæ doſi profligari po-
„ tuerunt, nunc vero penitus ceſſarunt„.
Altera (*a*) „ femina annorum 64, nunquam
„ gravida facta, vitam ærumnoſam et mo-
„ leſtam agens, inordinatæ aſſueta diætæ,
„ ſemper cum doloribus menſtruata, poſt-
„ quam anno ætatis 48° menſes penitus ceſ-
„ ſaverant, continuo valetudinaria exſtitit.
„ Medicamenta non nunquam adhibita, va-
„ lidusque in peragendis moleſtis negotiis
„ corporis motus, in tantum quidem ei pro-
„ fuerunt, ut non penitus decumberet; ſed
„ alia mala, ut dolor capitis, cardialgia,
„ alvi obſtructio, conatus vomendi et vo-
„ mitus ipſe, perpetuo vices permutabant.
„ Animi hilaritas corporisque vires magis
„ diminuebantur, quam pro ratione ætatis
„ ægrotæ par erat. Tandem cardialgia ſpaſ-
„ modica fere nunquam amplius ægrotam
„ deſeruit; os ſemper aqua repletum inter-
„ dum conſtringebatur, crebrique ægrotam
„ corripiebant vertiginoſi inſultus. Duode-
„ cim doſes menthæ piperitidis inſigne plu-
„ rimorum malorum attulerunt levamen; car-

(*a*) Ibidem §. 35. p. 36.

„ dialgia vero jam per 2 menſes penitus re-
„ miſit „ .

§. 60.

6. *Aſa fœtida.* A. DUNCAN (*a*) curandum nactus eſt virum 38 annorum, qui circiter ante 11 annos icterum paſſus, nunquam ab hinc a ventris doloribus ex toto vixit liber; imo inde a triennio jam vehementem per vices ad cartilaginem enſiformem patiebatur dolorem, qui deinde in totum ſemper abdomen deſcendebat. Paroxyſmi breves, at crebri erant, perennante nihilominus ingrata ad ſcrobiculum cordis ſenſatione. Ructus æque ac crepitus ventris dolorem inſigniter leniebant. Nunquam non a paſtu ructus ei fuere admodum moleſti, uti et abdominis rugitus, variisque in locis venter a flatibus itentidem elevabatur. In atrociore cardialgiæ inſultu m agnaſimul aderat cephalalgia cum leni intercurrente horripilatione. Alioquin vero cephalalgia mane quovis, abſentibus licet gravioribus ventris cruciatibus, præſto erat, ſed mitior. Ceterum paroxyſmi

(*a*) Krankengeſchichten n. 24. p. 242. ſqq.

hyemales leviores ſemper fuere vernalibus. In reliquo autem alvus libera erat, ſomnus bonus, pulſus intra minutum 70; at appetentia aliquatenus imminuta. Cum varia hactenus uſurpata remedia nil juviſſent, A. 1777 die 14ª Junii præſcriptæ ſunt pilulæ:

℞. Aſæ fœtidæ
Aloës
Saponis aa ℥j
Syr. q. ſ. F. pil. gr. v. S. quolibet

veſpere n. ij. Unde ad usque 24am Junii quotidie fere ſemel bisve alvus fluxit; cephalalgia flatusve minus moleſtabant, at dolor, ut ante, manſit, niſi quod ſedem ſuam ad paulo inferiorem locum tranſtuliſſe ſit viſus: ſemper tamen adhuc debilem ſe eſſe æger querebatur. Pergenti nihilominus in uſu ejusdem remedii usque ad 1am Julii, alvus inde non amplius fluxa, ſed leniter tantum aperta, reddebatur, et imminuta debilitate cephalalgia quoque tolerabilior evaſit; dolores tamen ventrem non dum reliquerunt. Abhinc ad 8am Julii continuatarum pilularum doſis noviſſima alvum quater laxavit. Ab aliquo tempore nullus jam dolor accidit, omniaque ſymptomata multum remiſere. Quapropter unica tantummodo pilula quovis veſpe-

re ad 15^{am} Julii usque ſumenda dabatur, a qua alvus ut ante leniter aperta ſervabatur; dolor non amplius revertit, nec alia etiam ſymptomata admodum fuere moleſta. Dimiſſo igitur homini imperatus adhuc interdum pilularum uſus, a queis prorſus ad ſanitatem rediit. Omnis morbi hujus indoles ita erat comparata, ut in flatulentia debilitati ſtomachi et inteſtinorum tribuenda eſſet: ac proinde curatio illius poſcebat remedium debilitatem dictam ſpaſmosque, a queis aer intus collectus paſſim incarcerabatur, tollens, atque aerem collectum aucto periſtaltico motu verſus anum continenter propellens; quorum iſthoc aloe, illud aſa fœtida ex voto præſtiterunt.

§. 61.

7. *Moſchus*, isque aut ſolus, aut cum opio, velut in ægra HEMMANNI (*a*), aut cum cinnabari junctus. Poſtremo modo eum felici cum ſucceſſu J. PRINGLE (*b*) præbuit

(*a*) Vide §. 43.

(*b*) Neue Verſuche u. Bemerk. einer Geſellſch. zu Edinburg 2 Band n. 12. p. 282. ſqq.

feminæ 43 annorum, teneri habitus, et a compluribus annis paſſioni hyſtericæ cum aſthmate ſicco, ad quod multum conformatio ipſa corporis conferebat, obnoxiæ. Hæc ſæpenumero ab arthriticis capitis, ſtomachi, omniumque artuum doloribus tam vehementer infeſtabatur, ut A. 1745 maximam æſtatis partem artubus inde capta fuerit. Die 3ª inſequentis Novembris atrox rurſus eam invaſit cardialgia cum valido ſingultu ac ſtomachi convulſionibus; cujus paroxyſmis ingruentibus ſtomachus vehementer exagitabatur cum tanto ſpinæ dorſi motu, ut manum impoſitam iſthæc non pateretur, ſpaſmoque ſenſim in collum evecto ægra pene ſuffocabatur; eapropter decumbere nullatenus valens diu noctuque ſedere coacta eſt; imo dum vel alterutrum in latus caput reclinatum ſuſtentare volet, enormes perpetiebatur dolores. Quo factum eſt, ut recto ſemper corpore coacta ſit ſedere. Femora inſigne exhibuere oedema, quod iisdem in ſellam impoſitis minuebatur quidem, at ſimul ocyus aſthma recurrebat. Hocce in ſtatu calorem tantum corporis fovebat ægrota, interdumque aliquid vini tenuis hauriebat, ac ſemel iterumve parum TRæ ſacræ ſumebat. Auctor

precibus matronæ cujusdam adductus, ut medicinam miſeræ faceret, die 21ª Novembris ad 9am veſpertinam præſcripſit remedium Tonquinenſe in ſingultu aliisque nervorum affectionibus tunc admodum celebratum:

℞. Cinnab. nativ.
—— ♄ ii aa gr. XXV
Moſchi opt. gr. xvj.
Syr. balſ. q. ſ. F. bolus, cujus dimidium (quod ad integram doſin ægra debilior eſſet ſumendam) ocyus ſumat, ſuperbibendo hauſtulum ♌us frumenti, alterum vero dimidium poſt 6 horas. A prima mox doſi convulſiones ſtomachi deſiere, poſteroque mane ægra multo ſe melius habuit: idcirco hora 9ª matutina bolus integer datus, et 4ª quaque hora ſumendus imperabatur, quoad vel ſomnum vel ſudores cauſaret. Et vero poſt 4 bolos aſſumptos, quamvis et aer fuerit frigidus, et ægra ſedere cogeretur, uberrimus ſudor cum ſomno eſt conſecutus, feminæque inde jam horizontali ſitu in lecto cubare fuit integrum, quin priſtina inde incommoda revocata fuerint. Sudor hic a pomeridiano tempore diei 22dæ durabat usque in noctem diei 24tæ fere continenter ac citra ſenſibilia intervalla. Sepoſitis ergo bolis da-

tus Julepus ad ℥viij cum moſchi gr. xij pro libitu uſurpandus; cujus ab uſu usque in diem 27 belle habuit, ab omnibus malis priſtinis libera, evaneſcente ſimul prope in integrum oedemate femorum. Cum autem eo die reverſionem cardialgiæ extimeſceret, datus denuo bolus cum hauſtu ℞us frumenti, cujus intolerabilem æſtum nunc querebatur, id quod primum durante hoc morbo fuerat, unde calorem in ſtomacho perſenſit. Die 19a ob novum cardialgiæ metum rurſus bolum ſumpſit; unde adeo profecit, ut in conclavi obambularit, oedemate femorum jam omni abolito. Die 4a Decembr. domo prodiit, ſana in poſterum vivens.

§. 62.

8. *Cajeput oleum* tantæ hic ſæpe eſt efficaciæ, ut incantamenti inſtar cardialgiam profliget, id quod teſtatur juvenis TREWII (*a*), et C. F. JOERDENS (*b*) „ in femina „ (inquit) atrociſſimam cardialgiam perpeſ-

(*a*) Vide hiſtor. 8.
(*b*) Commerc. Nor. T. 5. A. 1735. hebd. 9. n. 3. p. 68.

„ ſa. . . . ex ejus uſu compertum habeo, „ quod ſit medicamentum ſummum omnino „ atque certiſſimum antiſpaſmodicum „. Perinde J. WEITBRECHTUS (*a*) „ olei Cajeput . . . „ vires . . . bis tentavit, primum in femina „ poſt partum gravibus doloribus correpta, „ deinde in viro, quem ſubito atrox invadebat cardialgia: utroque in caſu optimum et exoptatum præſtitit effectum; in „ ultimo ſaltem ex præſentanea dolorum mitigatione obtinuit, ut medicamenta reliqua, quæ materia bilioſa excernenda indicabat, locum haberent „. Haud ſecius DOLLFUS (*b*) „ mulier (ait) juvenis, primum gravida, quæ cœlebs adhuc aliquoties gravi cardialgia ſpaſmodica corripiebatur, et ſemper per aliquot dies vehementibus doloribus excruciabatur, nec ſine „ multis curis a Medico . . . ab illis liberabatur, 4° graviditatis menſe eodem malo „ denuo affecta eſt. Huic . . . quum præſcripta remedia anodyno-carminativa et „ antiſpaſmodica (inter quæ oleum amygd. „ dulc. cum ſyrupo papav. albi et tantillo

---

(*a*) Ibidem T. 9. A. 1739. hebd. 10. n. 9. p. 75.

(*b*) Ibidem T. 12. A. 1742. hebd. 38. n. 2. p. 303. ſq.

„ camphoræ interne exhibebatur, externe
„ vero, præter clyſmata, inunctiones abdo-
„ minis, et veſica decocto paregorico reple-
„ ta, applicabantur) ſpem fruſtrarent, pro-
„ pinavi ſacch. albi ℈j et olei Cajeput gtt.
„ vij pro duabus doſibus, quarum prior
„ cum infuſo foliorum Veronicæ aſſumpta
„ effectum jam præſtitit tam exoptatum, ut
„ dolores illico mitigati, et ex altera doſi
„ poſt 2 horas aſſumpta penitus ſedati fue-
„ rint in magnam patientis admirationem et
„ gaudium. Alia juvenis mulier primum pa-
„ riter 9 hebdomadas gravida, et aliquo-
„ ties jam cardialgia ſpaſmodica vexata (cu-
„ jus mater etiam per 10 annos, atque præ-
„ cipue hanc mulierem utero gerens, hoc
„ affectu graviter afflicta fuit), die 19 Julii
„ hac ipſa iterum affligebatur. Die 20 . . .
„ præſcribebam clyſma atque hanc MR^am^
„ cochleatim ſumendam:

℞. ▽æ cord. offic. inc.
fl. tiliæ aa ſeſcunciam
cinnam. cyd. unc. ij
Syr. pap. albi ℥ß
TRæ caſtor. c. ♌ ⊖✱ parat. ℈j
☍ ♀ per deliqu. ℈ß
♁ epilept. March. ℥ß.

„ Sumptis aliquot cochlearibus ſequebatur „ vomitus materiæ bilioſæ, ſed dolores au„ gebantur: quare ♁es indicatos ex oleo „ Cajeputi ſumendos præcipiebam; quorum „ doſis prima et ſecunda mitigationem qui„ dem, ſed 4a demum perfectam quietem, „ adhuc durantem, produxit „. Neque minus M. A. WEIKARD (a) virtutem hujus olei eſt expertus in annoſa quadam matrona, phlegmatica, corpulenta, animique hilaris, cui plerumque poſt aliquot a paſtu horas dolor circa lienem obortus in ſtomachum et pectus porrigebatur multa cum oſcitatione, ſomnolentia, manuum que frigore, qui principio in noctem usque durabat, et quandoque mane jam aderat. Sub finem vero paroxyſmi ſemper ructus erumpebant. Morbo menſes aliquot duranti varia opponebantur remedia, ſolventia, roborantia, antiſpaſmodica, ut extracta taraxaci, chamomillæ, valerianæ, hyoſciami, aconiti, corticis Peruviani, decocta rad. aperientium, bilis in pilulis, elixir acidum, limatura ♂, oleum phoſphori, &c. at omnia incaſſum; niſi quod

(a) Vermiſchte medicin. Schriften 2 Stück. p. 143. ſqq.

inſultus mitiores ordinatosque reddiderint; vel etiam ad 5. 6 dies inhibuerint, qui initio 4° die redibant vehementes, dein quotidie leviores et ſæpe citra manuum frigus. Aliquamdiu dolor abdomine relicto ſolum pectus laceſſebat. Cum itaque excretio etiam tum alvina tum lotii dolorem quoque augere obſervaretur, ab emetico autem ſumendo ægra prorſus abhorreret, tandem quod aliquando eleoſaccharum cinnamomi egregie conduxerit, in mentem venit oleum Cajeput, cujus mane veſperique, uti et adventante paroxyſmo, gtt. 8 ad 10 cum ſaccharo uſurpatæ invaſionum recurſus prohibuere. Sed abhinc moleſta matronæ fieri cœpit cephalalgia cum dyſpnœa. Interea aliquanto inde poſt rurſus dolor vice quadam ingruit; verum olei dicti uſu denuo eſt profligatus. Qua in re matrona hæc binis illis TREWII (*a*) fuit felicior, queis etſi primum inſultum oleum Cajeput ſuſtulit, contra ſequentem nil amplius profecit. Interea cum oleum Cajeput genuinum rarius haberi queat, neque egenorum crumena pretium ejusdem ferat, ſuccedaneumne illi haberi poteſt *oleum* aut *Car-*

(*a*) Vide §. 29. n. 1, et hiſtor. 9.

vi aut *Succini?* Etenim apud A. THONERUM (*a*) optimo utrumque cum ſucceſſu eſt tentatum: filia primum Auctoris 15 annorum ſævam cardialgiam deſperabunda perpeſſa ſumptis olei ſtill. carvi gtt. 5 cum binis cochlearibus juris calidi e veſtigio a dolore eſt liberata. Alia 12 annorum puella cardialgia cum anxietate laborans, datis per aliquot dies olei ſuccini rect. gtt. 5 ex jure, perinde convaluit; quo ipſo etiam remedio altera Auctoris filia ingentem per vices cardialgiam experta, præſertim a paſtu, dolore usque ad ſcapulam extenſo, perſanata eſt.

§. 63.

9. *Aurantiorum cortices.* J. J. RITTERUS (*b*) ab uvis ac lacticiniis cardialgiam nactus ſumpta mane ac veſperi ℥ cort. aurant. ʒß intra 4 hebdomades convaluit. Neque L. HEISTERUS (*c*) eosdem juveni ſuo fruſtra præbuit. Perinde eſſent. cort. ☉ ʒß cum ♌ ◑ dulc. ʒj Paſtori quinquagenario car-

(*a*) l. c. p. 136.

(*b*) Nov. act. nat. cur. Tom. 5. app. p. 33. §. 69.

(*c*) Vide hiſtor. 4.

T

cardialgiam paſſo cum fructu dedit J. STORCH (*a*), cujus itidem feminæ eodem malo affectæ ſola eſſentia aſſumpta egregie profuit (*b*). Succus quoque horum fructuum ſodæ mederi viſus eſt; ZACUTUS (*c*) enim „ tres vidit eodem morbo correptos, qui celebratis omnibus, ſolum aſſumpto ſyrupo facto „ ex ſucco aurantiorum acidorum et portulacæ ſanitatem obtinuere „.

§. 64.

10. *Calamus aromaticus*. R. SOLENANDER (*d*) „ comperit ſæpe efficax et juvans „ ℞ calam. arom. ʒjß cum ſucci abſinth. „ depur. ℥ij calide exhibitum, quod medicamentum . . . ventriculi dolorem ſtatim „ ſuſtulit, et mitigavit „.

§. 65.

11. *Centaurium minus*. G. KLAUNIG (*e*) narrat virum 38 annorum triennio complu-

(*a*) l. c. ann. 6. Octobr. Cl. 4. p. 719.
(*b*) Ibid. ann. 8. Mart. Cl. 4. p. 410.
(*c*) Prax. med. admir. L. 2. obſ. 4.
(*d*) Conſ. medic. S. 5. p. m. 517.
(*e*) Miſc. nat. cur. Cent. 3 et 4. obſ. 146.

res atrocis cardialgiæ inſultus, quorum nonnulli per aliquot menſes quotidie affligebant, expertum, ſingulos eorum variis debuiſſe profligare remediis, ita ut dum primis fugandis præmiſſo emetico carminantia ſuffecerant, hosce ſecuti ſolis BECHEVI pilulis ceſſerint. Poſt aliquot vero menſes reverſo morbo nil aliud profuit, quam ſalis Egrani ℥vj in ▽æ font. ℥iij ter uſurpatæ. In tertia recidiva malo quotidie duabus poſt paſtum horis affligente nil juvit, niſi cortex Peruvianus extra inſultum uſurpatus. In quarta recidiva caſcarillæ cortex Peruviano prævaluit. In quinta ſolum infuſum millefolii opem tulit. In poſtrema vero cum nihil priorum profeciſſet, ſolum decoctum centaurii minoris quotidie mane ad 4 vaſcula hauſtum ulteriores morbi recurſus inhibuit.

§. 66.

12. *Antiſcorbuticæ* plantæ, ut eſt

a) *Naſturtium aquaticum.* V. RIEDLINUS (*a*) „ in dolore ventriculi gravativo „ hanc herbam, licet cum aceto comeſtam,

---

(*a*) Lin. med. ann. 1. Decembr. 23ª p. 451.

„ tantum præſtitiſſe novit, ut poſtea per „ aliquot menſes ille, qui eadem uſus fuerat, ab eodem immunis vixerit, cum prius „ multa medicamenta fruſtra in uſum duxiſſet; licet poſtea iteratus ejusdem uſus „ malo redeunte haud tantum profuerit „.

b) *Raphanus.* Meminit idem Auctor (*a*) textoris 50 annis majoris, qui hyeme in dolorem ſtomachi jam ardentem jam gravativum cum anorexia et extenuatione lapſus poſt varia in caſſum uſurpata uſu tandem raphani in ſegmenta conciſi, oleoque conditi, quem per triduum mane ac veſperi comedit, ab dolore eſt liberatus.

c) *Allium*, *cœpæ* unquamne morbo medentur? Narravit nempe S. BLANCKARTO (*b*) M. HOOGKAMMER, nobilem quemdam e vehementi cardialgia cum tanta cœparum alliique (a Medicis tamen ſevere ſemper vetitorum) appetentia, ut ſemel ſolo ruſtici allio paſti halitu percepto dolor miteſcere ei ſit viſus, demum obiiſſe, ejusque in ſtomacho repertum fuiſſe lapidem oblongum; e quo lævigato frater mortui manubrium cultri ad-

(*a*) Ibidem ann. 4. Junii 7a p. 461. ſp.
(*b*) Collectan. med. phyſ. Cent. 5. Obſ. 51.

modum elegans effingi curaverit. At ubi fortuito caſu in convivio cœparum ſuccus illud attigit, continuo velut a menſtruo ſolvebatur: id quod in ſtomacho quoque eventurum credebatur, ſi ægro in vita cœparum eſu haud fuiſſet interdictum.

CAPUT VIII.

ADSTRINGENTIA.

§. 67.

ADSTRINGENTIA denique tum vel maxime in curatione cardialgiæ locum ſibi vindicant, ubi imminutus ſtomachi tonus et nervos reddiderat ſenſiliores, et ex ingeſtis facile cruditates colligit, aeremque extricatum, ſe ſeque loci calore expandentem, nec ſatis coercere, nec debite ulterius propellere, valet; quem tonum amiſſum adſtringentia remedia roborantibus nervinis et citius et certius reparant. Horum autem e claſſe in primis hic laudantur

§. 68.

1. *Omphæcium.* PARACELSUS (*a*) mulierem fruſtillo panis in omphacium intincto, eſui dato, a cardialgia liberavit. Nec in ſoda minus remedio huic eſt tribuendum; ZA-

(*a*) CHESNEAU l. c. Cap. 1. p. 194. ſq.

CUTI (*a*) enim vir bilioſus multis diebus ardorem ſtomachi cum oris amarore, nidoroſis ructibus velut frixorum ovòrum, bilis vomitu, ſiti, anorexia, inquietudine, cardiogmo, præcordiorumque ardore, citra febrim, paſſus, cum fruſtra victum refrigerantem, catharſes, V^æ^ S^em^, ſerum lactis, balnea, fotusque adhibuiſſet, demum ſyrupo omphacii ad ℥j quovis mane per annum uſus, convaluit. Alibi (*b*) ſimillimum caſum de ſyrupo portulacæ memoriæ prodidit.

§. 69.

2. *Glandes.* Harum uſtulatarum ad modum fabarum Caffée decoctum cum ſodam tum cardialgiam, aliis remediis non abigendas, profligavit. M. J. MARX (*c*) refert virum ad 40 annos natum a multis annis ſemper poſt paſtum, maxime vero ex cibis pinguibus aſſumptis, ſodæ e cardia per œſophagum ad fauces usque urenti cum ſapore jam ovorum putrium jam acrimoniæ, ructibus,

(*a*) Prax. med. admir. Lib. 2. obſ. 4.
(*b*) Prax. hiſtoriar. L. 8. C. 12. obſ. 4.
(*c*) Beſtættigte kræfte der Eicheln n. 13. p. 34.

nauſea, ſtrangulatione, ſtomachi tenſione vel preſſione, humorum in os affluxu, vovomituritione, imo ipſo interdum vomitu, obnoxium fuiſſe. Inſultus poſt cibos leves non pingues brevis erat, longior vero poſt pinques ac potam deſuper cerevifiam haud rite fermentatam, toto etiam die affligens, quoad vomitu omnia excuſſa fuiſſent. Poſt plurima in caſſum adminiſtrata bimeſtri tandem uſu decocti glandium uſtulatarum, in locum potus Caffée ſuffecti, priſtinam recuperavit valetudinem. Idem etiam remedii erat eventus in viro 60 annis majore. Alius (*a*) vero non dum ſexagenarius adeo debili erat ſtomacho, ut non niſi leviſſimos ferret cibos; carnes ac pinguia vehementiſſimum cauſabant dolorem, nec raro immanem vomitum aquæ copioſæ. Nullis proficientibus remediis, bimeſtri decocti glandium uſu tantum ſtomacho rediit robur, ut duriſſima quæque ſine ulla moleſtia ſubigeret. Rediit ſanorum faciei color, et a nulla atmoſphæræ varietate, alioquin ſibi inimica, afficiebatur,

(*a*) Ibidem n. 14. p. 35.

§. 70.

3. *Mars* denique vario ſcopo huc pertinet; nam præterquam quod ſtomacho ipſi robur impertiat, cachexiis quoque, et catameniorum anomaliis a laxa debilitate vaſorum oriundis, opitulatur. Sic v. RIEDLINI (*a*) ancilla cardialgiæ cum ſyncope, præſertim a paſtu, obnoxia et emaciata, malo a nimiis menſibus exorto, ſumpta aliquoties ℞a ♂ multum levabatur, ut ob reverſiones doloris uſu limat. ♂ cum ♁c ſtom. BIRKMANNI prorſus convaluit. Huc autem præ primis facit potus aquarum ſoteriarum martialium. J. REYDT (*b*) narrat Helvetum immani cardialgia ad omnia contumaci vexatum cum anorexia, vomitu alimentorum omnium, ac virium jactura, interno tandem externoque ▽æ piperinæ uſu poſt profuſum ſudorem obortum plane convaluiſſe. Idem quoque in aliis etiam hujus ▽æ erat ſucceſſus (*c*). Perinde B. BAINE (*d*) refert virum

(*a*) Curar. medicar. millenar. n° 668.

(*b*) Hydrophylacii 1 Th. 11. Cap. p. 155.

(*c*) Ibidem p. 156. 172. 209.

(*d*) Medic. Bemerk. und Unterſuch. der Aerzte in London 2 Band. n. 11. 2. Fall. p. 155.

26 annorum, invalidi habitus, ſtirpisque arthriticæ, a longo tempore obnoxium fuiſſe inſultibus vehementis cardialgiæ ſpaſmodicæ tanta cum flatulentia, vix ut vini poculum exhaurire poſſet citra crebros ructus, eisque comitem ſuffocationis ſenſationem. Poſt varia citra diuturnum profectum uſurpata ſtomachica, tandem pota ▽a Pyrmontana cum ▽a communi calida permiſta ægrum intra 4 vel 6 hebdomades ita ſanavit, ut abhinc longe melius, quam multo ante, ſe habuerit. Si quando priſtinus dolor aliquatenus revertebatur, cito etiam eidem cedebat remedio, cujus in locum quandoque pari cum effectu ſubſtituerat hauſtum ▽æ calidæ cum ☊ Oryzæ coch. j. ij. miſtæ. Pari quoque cum ſucceſſu hæ aquæ adverſus ſodam uſurpantur, quam in ægro quodam continenter vexantem balneo potuque fontis Brückenavienſis ſanatam refert M. A. WEIKARD (*a*), et matronæ 30 annis majoris meminit SCHEIDEMANTEL (*b*), cui poſt lochia a partu ali-

---

(*a*) Einladung zur Cur für das Jahr 1777 an den Kurorte bey Brückenau im Fuldiſchen.

(*b*) Kurze Nachricht von dem Nutzen und Gebrauche der im Hochſtift Fulda zu Brückenau und Wernarz gelegenen Mineralbrunnen p. 118.

quamdiu ſuppreſſa ardor circa ſtomachum accidit, imminutus quidem lochiorum dein profluxu, at non ex integro ſublatus, imo vehementior iterum poſtmodo effectus; qui tamen ab externo internoque ejusdem aquæ Brückenavienſis uſu altero mox die evanuit, haud amplius reverſus.

CAPUT IX.

CORTEX PERUVIANUS. ET GEUM URBANUM.

§. 71.

1. CORTEX *Peruvianus* tametſi ad binas præcedentes claſſes pertineat, peculiarem tamen locum ſibi eo vel maxime depoſcit, quod præter virtutem nervinam roborantem alia quoque, antifebrili nempe, ſit præditus, qua febri intermittenti vel ſub cardialgiæ larva occultatæ vel malignæ illi cardiacæ, atrociſſimum ſtomachi dolorem tempore paroxyſmi ſibi junctum habenti, mirabiliter medeatur (*a*). De hacce poſteriore cum iſthic nec omnia dicere conveniat, nec operæ pretium ſit pauca delibare, prioris tantum bina hic exempla, ab J. C. RUEFF (*b*) obſervata, proferam. „ Primarius . . . chirurgus (narrat ille) lectiſſimam ſuam conthoralem „ per plures ſeptimanas a dolentiſſima car-

(*a*) Vide §. 25. n. 2. b).

(*b*) Nov. act. nat. cur. Tom. 6. obſ. 6. hiſt. 3. p. 25.

„ dialgia flatulento - ſpaſmodica vexatam, tri-
„ ſtis indoluit, ad cuncta applicata rebellio-
„ re, ita ut affectus iſte omnes tam ſuos
„ quam aliorum conatus turpiter hactenus
„ eluſiſſe videretur. Demum et ego . . . .
„ conſultus circumſtantiis omnibus cum cu-
„ ra perpenſis cardialgicum hunc ſpaſmum ſi
„ non in dies, alternis tamen vicibus a me-
„ ridie, hinc periodice, inordinate quam-
„ vis, redire lætus obſervavi: curam igi-
„ tur ſequentem in modum adornans. Ad
„ materiam acrem, qua nervoſa ventriculi
„ tunica in ſuperiori ſuo orificio vellicari
„ per intervalla obſervabatur, tam corrigen-
„ dam, quam absque ſtimulo evacuandam,
„ ut patiens de ℥ᵉ ſequenti reſolvente ter
„ in die horis medicis doſin acciperet, auc-
„ tor fui:

℞. Sal polychreſt. ʒß
♁ ii diaphor. non abl.
Rhabarb. elect. aa gr. vij. M. D. ſic
„ ad chart. 6 doſes, ſorbillando ſingulis
„ vicibus duo vaſcula de ſpeciebus theefor-
„ mibus. Applicatis inſuper ad cardiæ re-
„ gionem linimentis anodynis ac ſacculis

℞. Ungv. anod. ℥ß
Ol. nuc. moſch. expr.
Ther. ANDROM. aa ʒij
Axung. Caſtor. ʒj.
Camph. in Ωu ⊖✶ ſolut. ℈ß
Balſ. Peruv. ℈j M. f. l. a. linimentum.
℞. Fol. Abſinth. Roman.
—— Menth.
Flor. Samb.
—— Chamæm. vulg. aa M. j
Bacc. Lauri
—— Junip. aa ℥ß
Sem. Fœnic.
—— Aniſi commun. aa ʒij. Inciſ. et
„ contuſ. M. D. ad chart. pro ſacculis. Nota-
„ bilem equidem ex hiſce adhibitis bonum ef-
„ fectum ſenſerat patiens, cum paroxyſmi fe-
„ rocia remittere non ſolum, aſt etiam ad dies
„ aliquot ſiluiſſe videretur; tædioſe vero
„ recrudeſcens iterum, nec applicatis antea
„ ceſſit remediis, uſum corticis expoſcens.
„ Hunc igitur aperitivis ac anodynis ſocia-
„ tum ſequentem in modum ordinare non
„ neglexi; nec exoptatus ſpem meam feſel-
„ lit effectus, ſumme dolorifico hoc affec-
„ tu cardialgico paulo poſt feliciſſime pro-
„ fligato electuarii notati uſu, quod notata

„ doſi acceperat obſequens ægra, bis poſtea
„ et ter in die per octiduum continuando:

℞. Cort. Peruv. pulveriſat. ℥vj
—— Caſcarillæ
Rhabarc. elect. aa ℥j
♀ri ♀ſati ℥ij.
Theriac. cœleſt.
⊖ ſedat. HOMBERG. aa ℈β
Extract. Chamæm. ℥β
Syr. acetos. Citri q. ſ. M. F. electuar.

„ Doſis magnitudo nuc. moſch. omni triho-
„ rio. Rediit inde ſanitas adeo perfecta,
„ ut jam ab anno, et quod excurrit, ab
„ omni morborum genere immunis vivat,
„ ſæpius antea valetudinaria. Notandum vel
„ maxime, quod affectus iſte cardialgicus
„ periodice recurrens nullis unquam comita-
„ tus obſervaretur ſymptomatibus febrilibus,
„ cortice tamen integerrime curatus. Simil-
„ limum exoptatiſſimum effectum obſervare
„ mihi licuit in equite, . . . qui ſæviſſima
„ cardialgia periodice recurrente moleſtatus,
„ et variis laceſſitus remediis, ſolo, et legi-
„ timo corticis uſu cum ſanitate demum re-
„ diit in gratiam. Notabatur in ægroto hoc
„ ſingulare ſymptoma, graviſſimum nempe
„ durante paroxyſmo delirium, hoc finito

„ feliciter ceſſans; et cortici omnino obe-
„ diens „.

2. GEI *urbani* porro ſeu *caryophillatæ radix* tanquam ſuccedaneum corticis Peruviani remedium huc in primis pertinet, haud ita dudum ab hinc a R. BUCHHAVE (*a*) commendatum, qui præter varias febres aliosque morbos cardialgiam quoque ter hujus radicis uſu percuratam vidit. Nempe (*b*)
„ femina 36 annos nata, a teneris hyſteri-
„ ca, 14 dies morbo afflicta fuit periodico;
„ rariſſime vel nunquam obvio, phlegmaſia
„ ſcilicet laboravit per aliquot dies vulgari.
„ Inopinato hora 5ª pomeridiana . . . obo-
„ ritur cardialgia, qua præſente aberat phleg-
„ maſia; hora 9ª veſpertina evanuit iterum
„ cardialgia, et phlegmaſia pedes occupavit.
„ Sic invicem hæc alternarunt duo ſympto-
„ mata, tempus adventus et abitus ſupra
„ dictum rite obſervantia, et quidem quo-
„ tidie per 14 dies. Variis a medico ordi-
„ nario præſcriptis uſa fuit pharmacis ſine
„ ulla morbi mutatione. Me conſulto ʒiij

(*a*) Obſerv. circa rad. Gei urb. ſive cariophyllatæ vires in febrib. &c.

(*b*) Ibidem obſ. 78.

„ pulveris Gei intercalari tempore capien„ das adhibuit: unde dicta evanuere ſym„ ptomata. Parvam ob hyſtericos motus pul„ veris portionem bis quotidie porrectam „ dies aliquot continuans deinde ordinaria „ gauiſa eſt valetudine „. Perinde (*a*) „ fe„ minæ nobili 32 annos natæ, hyſteria ſæ„ pe laboranti, octiduum cardialgia omni „ veſpera ad horam 6^am^ oborta fuit; ſubſe„ quente ſemper nauſea et vomitu ingeſto„ rum; deinde 4 horas remiſit, evanuit. „ Alvus nuper erat purgata, et ſanitas alias „ illibata. Drachmas iij pulveris rad. Gei „ obtuli, quibus adhibitis cardialgia perio„ dica ſtatim ſiluit „. Denique (*b*) „ ſtabu„ larius 40 annorum, robuſtus alias et ve„ getus, per menſem vehementi afflictus fuit „ cardialgia concomitante et ſubſequente vo„ mitu et diarrhœa cum ſtriis ſanguineis in „ excrementis; et pyrexia moderata. Lon„ gum conſumpſit tempus in laxantibus; „ MR^is^ ſalino-camphoratis; oximelle; ſa„ pone, extractis amaris, reſolventibus, et „ tandem cortice Peruviano, ſub forma flui-

(*a*) Ibidem obſ. 80.
(*b*) Ibidem obſ. 100.

„ da continuo adhibitis; quia medicamina
„ vel cibos aliqualis conſiſtentiæ ſine cardiæ
„ aucto dolore, et vomitu ſubinde oborien-
„ te, perferre nequivit. Tandem maximo
„ dolore 3° Junii ſedato, et corpore viribus
„ exhauſto, etiam poſt multum et diutur-
„ nam corticis uſum pulſus tamen febrilis
„ eſſe continuavit. Pulverem tunc rad Gei
„ adhortatus ſum, cujus quater quotidie ʒß
„ deglutivit: 9° pulſus naturalis, ſomnus
„ bonus, appetitus cibi major, minor poſt
„ captum cibum ventriculi dolor, nulla ſitis,
„ et poſt pulveris ingeſtionem flatus ano et
„ cato effugiunt. Uſum pulveris deinde con-
„ tinuavit aſſidue: unde vires quotidie ita
„ increvere, ut 15° maximam diei partem
„ extra lectum ſe continuerit, et 19° a pul-
„ veris deſtiterit uſu „.

CAPUT X.

COMPOSITA.

§. 72.

COMPOSITA denique etiam remedia hic dare non inutile futurum arbitror, quæ e ſimplicibus hactenus recenſitis confecta pluribus ſimul indicationibus explendis faciunt ſatis (*a*), et quorum uſu contumaces interdum cardialgiæ ſuperatæ ſunt. Horum in cenſum refertur

1. *Decoctum* P. L. EBENI (*b*):

℞. Summit. Chamomill. M. j.
Maſtich. el. ℥ij. Incid. et coq. in
Vin. alb. ſ. q. Hujus uſum m. et v.

per aliquot dies efficaciſſimum reperit, qui diu cardialgiam paſſus plurima ante in caſſum tentavit.

(*a*) Vide §. 31.
(*b*) Obſerv. medic. 55.

2. *Mixtura* CRATONIS (*a*)

℞. Summit. Abſinth. Pont.

——— Chamæm. aa p. j

Thuris alb. ʒj. Coq in

▽æ ſ. q. Colat. ℥jv. adde

Syr. de ſucc. chamom. matricar. aa ℥ß

M. pro binis doſibus. Hoc remedio CRATO ſummas cardialgias colicasque percuravit.

3. *Elixir* varia ſtomachica, præſertim elixir vitrioli MYNS. Sic M. A. WEIKARDI (*b*) obeſus vir, vinoſuſque, quotidie 4 a cibo horis e ſtomacho ægrotans, licet mane recte ſe haberet, ſumpto elixirio acido convaluit.

4. *Bolus* RHUDII (*c*), quem „ qui-„ buſcunque exhibuit, omnes eodem die „ ab omnibus fere ſymptomatibus liberati „ ſunt „:

℞. Spec. hieræ ʒij

——— diarrhod. alb. ʒß

Myv. cydon. non arom. q. ſ. F. bolus.

Pilula P. POTERII (*d*) perinde huc pertinet:

℞. Ambaris griſei gr. ij

Croc. Orient.

(*a*) Epiſt. medic. L. 4.

(*b*) Obſerv. medicar. p. 116.

(*c*) Art. med. L. 2. C. 8.

(*d*) l. c. Cap. 50.

Moſchi aa gr. j
Opii Theb. gr. jv. M. F. pilula j.

Tiro tamen caveat ab opii gr. jv, niſi minor ejusdem doſis inefficax fuerit. Præſertim vero huc pertinent *pilulæ* a F. GHERL (*a*) adverſus atrabiliarem cardialgiam inventæ, quæ nunquam illum cum in ſe ipſo tum pluribus aliis fruſtratæ ſunt. Nam cum, ut ſuperius (*b*) vidimus, illum cardialgia quartum invaſiſſet gravior, cum anorexia, epigaſtrii inflatione, ſenſuque velut boli in gula hærentis, percepto etiam ſubinde in faucibus ſapore velut a ♁ᵘ vitrioli, ac fruſtra et raſuram eboris et innumera alia ultra ſemeſtre in uſum vocaſſet, ſequentibus tandem pilulis convaluit:

℞. Aloes hepat. ℥iij
Raſur. eboris
Limat. ♂ aa ℥ij
Fæculæ brioniæ
——— aronis aa ℥j
Extr. helleb. nigr. ℥jß
Tereb. Venet. ℥j
Syr. cacheƈt. FERNEL. q. ſ. F. pilulæ.

(*a*) l. c. Cent. I. obſerv. 39. p. 120.
(*b*) Vide §. 50.

V 3

Harum quovis veſpere per 7 dies ſumpto ℈j, mox deſuper cœnando, abiit dolor, et appetentia reverſa eſt. Ab hinc morbus poſt 1. 2. 3. ſubinde 6 menſes recurſans, ut ut ſemper mitior, nunquam non eodem profligabatur medicamine; donec ab A. 1713 haud amplius rediit. Quem vero in ſe, eundem quoque in plurimis aliis, ſucceſſum ab hiſce pilulis eſt expertus, quos inter præſertim civis (*a*) 77 annorum pertinet, cardialgia prehenſus cum anorexia, tantaque inde ſecuta melancholia, ut nec ipſe loqui nec alios audire voluerit: dictis autem pilulis et curatus et præſervatus a recidiva 85° ætatis anno e ſenio obiit Perinde (*b*) mulier 56 annorum, temperamenti melancholici, multis ab annis cardialgiæ cum anorexia, dyſpepſia, et alvina plurium dierum obſtructione, obnoxia, atque ob exiguam nutritionem oſſea macie cadaveroſoque faciei colore fœdata, poſt infinita remedia fruſtranea demum hiſce pilulis profligato dolore, alvum liberam, appetentiam, et carnes recuperavit. Reverſo aliquanto poſt dolori caſ-

(*a*) l. c. obſerv. 40. p. 122.
(*b*) Ibid. obſerv. 41. p. 123.

dem opponens pilulas denuo convaluit, deincepsque ſana manſit. Sic etiam (*a*) vidua circiter quinquagenaria et melancholici habitus, pluribus annis cardialgiam varia intenſitate cum anorexia et alvo ſæpe in 3. 4. 5. dies clauſa, dein vero ob ſcybalorum duritiem non ſine dolore exoneranda, experta, ideoque emaciata, fruſtra plurimis remediis tentatis, demum ad easdem confugit pilulas, quarum ℥iij in doſes jx diviſæ quavis veſpera capiendas, ſuper quas mox vel jure vel panatella ſumpta, ſalubrique obſervata diæta, mulier deletis omnibus ſymptomatis plane convaluit, et a doloribus per vices recurſantibus eodem ſemper ſe ſe remedio vindicavit. Haud ſecius (*b*) Religioſus ad 50 annos natus, melancholicæ temperiei, multos annos cardialgia cum anorexia et extraordinaria alvi obſtructione laborans, nihil opis ferentibus quibusvis aliis remediis, a pilulis iisdem ita convaluit, ut nunquam poſtmodo recidivam ſit perpeſſus; forte quod ſtatis deinde temporibus etiam iis in 5 vel 6 dies prophylactice fuerit uſus, præſertim

(*a*) Ibid. Cent. 2. oſſerv. 44. p. 246.
(*b*) Ibid. oſſerv. 45. p. 246.

ubi ſegnior fiebat alvus. Denique (*a*) ſexagenarius ex humore melancholico aduſtiſſimus jam inde a juventute identidem cardialgiæ ſævitiam perpeſſus eſt, cum anorexia tantaque alvi adſtrictione, ut ſine catharticis nunquam dejecerit, donec lapſu temporum ſpontanea iterum evaſiſſet. Nunc ultra trimeſtre dolore iterum vexabatur ad omnia contumaci cum alvo a 5 vel 6 diebus clauſa. A memoratarum vero pilularum altera mox doſi plurima ſcybala dura excrevit, et quotidie dein alvum facilem molliorem que nactus eſt, dolore abhinc pedetentim in totum conquieſcente, nec niſi ſubinde leviſſimo per vices, paucorumque dierum, recurſante, atque ſine ulla medela iterum decedente. Huic autem ſeni loco extracti hellebori ſalem ammoniacum pilulis indidit, doſesque ita conſtituit:

℞. Aloes hepat. ℥ij
Raſur. eboris
Limat. ♂ aa ℥j
Fæcul. brion.
——— aron. aa ʒij
⊖✱ ℥j
Tereb. Ven. ʒß
Syr. cacheſt. FERN. q. ſ. M. F. boli n. XV pro uſu.

(*a*) Ibid. Obſerv. 42. p. 233.

5. *Pulveres* v RIEDLINO familiares, præſertim vero pulvis ſtomachicus BIRKMANNI plurimis proficuus *(a)*, cui RIEDLINUS interdum limaturam ♂ *(b)*, interdum vero pulverem ſpecif. cachecticum *(c)* jungebat, vel ille etiam, quo cardialgia, poſt febrem continuam enata, ſublata eſt *(d)*:

℞. ♂ C. C. phil. calc. ʒiij
Specif. cach. LUDOV. ʒj
Cinnab. nat. ppt. ℈ij
Extr. Opii cydon gr. iij. M. f. cuſpides cultr. ij 3ª quaque hora. Huc etiam ♂ B. VERZASCHAE *(e)* facit, cujus uſu bibo quidam nobilis a ſoda, vini potum præſertim ſequi ſolita, eſt liberatus:

℞. Ocul. 69
Cretæ aa ʒij
Cryſtall. ppt.
Boli Armen.
Corall. rubr.
Lap. Judaic. ppt. aa ʒj

(*a*) Lin. med. ann. 6. Martii 30ª p. 345.
(*b*) Curar. medicar. millenar. n. 193. 668.
(*c*) Ibidem n. 497.
(*d*) Ibidem n. 243.
(*e*) Obſerv. medic. 48.

Margarit. ppt. ℈j
Cinnam. elect. ℈ß
Lap. carpion. ℈j
Bezoar. Or.
Macis
Nuciſtæ
Croc. Or. aa ℈ß M. F. ℥. Doſis eſt ad ℈j.

SECTIO II.

REMEDIA CHIRURGICA.

CAPVT I.

SANGUINIS MISSIO.

§. 73.

SANGUINIS *miſſio* in cardialgiæ therapia haud raro usque adeo eſt neceſſaria, ut hac neglecta dolor aliis remediis neutiquam cedat; et ſæpenumero ſola ſanguinis miſſione citra alia remedia compeſcatur. Negat quidem M. ETTMÜLLERUS (*a*) Væ Sem per ſe in cardialgia eſſe utilem, verum ex accidente tantum, dum ſcilicet illa vel inflammatoria eſt, vel a plethora, præſertim e ſolennibus hæmorrhagiis ſuppreſſis, pendet, ſed nemo utique eandem ſecus ſuaſit, niſi ad præveniendam forte ex acerbitate doloris inflammationem, vel materiæ ad loca a ſtomacho remotiora derivationem.

(*a*) l. c. p. 86.

§. 74.

Indicant vero miſſionem ſanguinis unum aut complura e ſequentibus:

1. *Dolor atrox*, facile poſt ſe inflammationem trahens, præ primis in iis, qui ſanguine vel copioſo, vel ad phlogiſticam diathiſin proclivi, gaudent. Imo ne in hyſtericis quidem et hypochondriacis eam negligi vult R. WHYTT (*a*), modo non ſit nimia: „ in omni (inquiens) admodum ve-„ hementi continuove ſtomachi dolore ali-„ quid ſanguinis eſt detrahendum, ſi modo „ id ægri vires admiſerint; hæc enim vacua-„ tio ſemper minuit inflammationis pericu-„ lum, raroque multum obeſſe poteſt „.

2. *Hæmorrhagiæ* ſpontaneæ levantes. Sic apud J. DOUINET (*b*) Conſul cardialgiam ad omnia, præterquam naturæ beneficium, quo ſemper ſolvebatur, contumacem, mox ab epulis ſemper invadentem pati ſolitus, quadam vice copioſo per os rejecto ſanguine illico a dolore eſt liberatus. Qui poſtmodo naturam præeuntem imitaturus dolorem ſanguinis miſſione ſemper profligabat.

(*a*) l. c. p. m. 581.
(*b*) Apolog. de arthrit. L. 3. C. 1.

3. *Plethora.* Sic nobilis quidam vir „ cum . . . immenſo dolore ventriculi tor„ queretur, aliis fruſtraneis, cum animad„ verteret A. THONER (*a*) corpus plethori„ cum et naturam melancholicam, conjectu„ ra dum querela de ardore, ne ſubſit in„ flammatio, venam aperiendam conſulit. „ Obſequium præſtitum. Exin dolor inſtar „ incantamenti illico conquievit, nec opus „ erat aliis præſidiis „. Plethoræ autem eo etiam certius adeſt argumentum, dum ſtomachi dolorem præceſſit qualiscunque

4. *Sanguinis vacuatio* conſueta neglecta vel ſuppreſſa, ut fluxus menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, &c. Ita C. M. ADOLPHI (*b*) in femina, cui menſes biennio parcius fluxere, cardialgiam periodicam poſt cibos. ac vel maxime vini Rhenani potum, ad ſyncopen usque per 2 ſemper horas vexantem, et ad omnia rebellem, V^æ^ S^e^ in pede, iteratisque pediluviis, ſuſtulit. Ab eadem quoque cauſa profecta fuiſſe videtur cardialgia in L. RIVERII (*c*) matrona, quæ

(*a*) l. c. p. 135.
(*b*) Act. nat. cur. Vol. 2. obſ. 159.
(*c*) Obſerv. medic. Cent. 1. obſ. 44.

„ ſubito correpta eſt doloribus vehementiſſi-
„ mis ventriculi et lienis regionem occupan-
„ tibus. qui neque fomentis neque purga-
„ tione ſedari potuerunt; ſed phlebotomia
„ celebrata ſatis larga manu e brachio ſini-
„ ſtro ſtatim evanuerunt „. Nec aliorſum referenda videtur J. LANZONI (*a*) „ mo-
„ nialis, . . . quæ ſtomachi ardorem quo-
„ vis fere menſe ſentiebat, et ſola V[æ] S[e] ab
„ eo liberabatur, quæ in pede celebraba-
„ tur „. Perinde apud F. HOFFMANNUM (*b*) vir 40 annorum, vinoſus, plethoricus, ac hæmorrhoidarius, cum inſtantem hæmorrhoidum fluxum externo frigore diutius tolerato impediviſſet, in cardialgiam cum febre, anxietate, ſiti, alvo adſtricta, levique ſyncope, incidit, ad omnia quæque, ipſam etiam, at nimis parcam, V[æ] S[em], rebellem; donec detracto pene ad ℔ j ſanguine e pede, ac dein aliis pro re nata uſurpatis remediis, a morbo liberatus eſt.

§. 75.

Quantitas porro ſanguinis detrahendi e magnitudine doloris, morbi cauſa, ægrique

---

(*a*) Miſc. nat. cur. Cent. 8. obſ. 11.
(*b*) l. c. obſ. 4.

idioſyncraſia et habitu, &c. eſt metienda. Si nil obſtet, ubertim demere ſanguinem præſtabilius eſt, quam eum parce delibare; quandoquidem una larga miſſione, quam pluribus exiguis, plus profectum fuiſſe obſervata fidelia docuere. Apud HIPPOCRATEM (*a*) „ quidam in Oeniadis morbo detentus cum „ ſine cibo perſeveraret, ſtrepitum in ven- „ tre vehementem et dolorem percipiebat, „ ciboque aſſumpto et comminuto, ubi poſt „ cibi ſumptionem tempus aliquod interceſ- „ ſiſſet, non longe poſtea idem ſentiebat, „ corpuſque contabeſcebat, et paulatim ab- „ ſumebatur, neque alimentum ex cibis ſum- „ ptis percipiebatur, et per alvum demitte- „ bantur ciborum reliquiæ pravæ et exuſtæ. „ At cum cibum recens devoraſſet, tum mi- „ nime ſtrepitum ſentiebat, neque dolor de- „ tinebat. Hic ſumptis omne genus medi- „ camentis tum ſurſum tum deorſum purgan- „ tibus nihil allevabatur. Secta vero per „ vices utriusque manus vena, donec ex- „ ſanguis fieret, tum demum allevationem „ et mali liberationem ſenſit „. Perinde

(*a*) Epidem. L. 5. n. 6.

paulo ante (*a*) dicto HOFFMANNI hæmorrhoidario V*æ* S*o* parca nihil, admodum autem profuit larga; quod alio quoque exemplo idem Auctor (*b*) confirmat, nimirum Princeps juvenis 26 annorum, plethoricus et ex hæreditate hypochondriacus, ad thermas CAROLINAS non præmiſſa V*æ* S*e*, velocique curſu ſub æſtu contendens, incidit ibidem in cardialgiam cum interno æſtu, anxia vomituritione, inquietudine, et frigore extremorum. Imperata V*æ* S*e*, quia vix ℥j detracta eſt, morbus exaſperabatur. Poſtero mane altera, et non ultra ℥v, facta levare viſa eſt, at non ſuſtulit, morbum: cumque interna haud plus proficerent, pulſu celeritatem priſtinam retinente, die 4*o* detractis ſanguinis ℥viij morbus omnis deſiit. In hyſtericis tamen corporibus ab largioribus ſanguinis miſſionibus apprime cavendum eſt, ne peſſima quæque nervorum mala conſequantur, cujusmodi caſum nuper N. RIGLER (*c*) obſervatum deſcripſit.

(*a*) Vide §. præced. n. 4.
(*b*) l. c. obſ. 5.
(*c*) Conſtit. epidem. A. 1775. ſqq. p. 123.

CAPUT II.

ENEMATA.

§. 76.

ENEMATA ex iisdem claſſibus, unde interna remedia petita ſunt, confecta et adhibita quantæ in hocce morbo ſint utilitatis, et POMMEI (*a*) ſeptuagenarius eſt expertus, et præ illo D. CHUDENII (*b*) femina 36 annorum, diætæ erroribus ac cibis præſertim acidis dedita, quæ poſt præviam anorexiam, lævique hypochondrii dolorem, cum torminibus et anxietate, incidit in 3nam autumnalem, cui fugatæ aliquot poſt diebus ſucceſſere priſtini hypochondrii dolores ac tormina, ſimulque cardiaigia ſumme anxia per circuitus, ita ut invadens lateris dolor multas per ambages tandem ſemper in ſtomachum irruerit, inſultusque poſt 3 horas ructibus ac ſudore ſolutus fuerit, lapſis paucis horis denuo reverſurus celeri cum pulſu, qui ſano-

(*a*) Vide §. 44.

(*b*) Act. med. Berolin. Dec. 1. Vol. 8. art. 8. n. 3. p. 87. ſqq.

rum ſimilis alias fuerat. Urina erat citrina cum arenulis rubris, interdum ſedimentum ponens. Menſes fluebant decolores. Salivæ ſapor acido vitriolicus fuit. Capto minimo cibo cardialgia revertebatur. Alvus erat adſtricta cum abdomine inflato, quam non ſine dolore movebant remedia, quique ab inteſtino recto cœptus per cetera inteſtina ad collum usque excurrebat. Somno per 2. 3. horas placide capto circa 1^{am} matutinam ægra cum pavore evigilabat. Plurimis per bimeſtre necquidquam adhibitis, tandem catamenia quoque ſubſtitere. Cum igitur cathartica non ſine dolore alvum ſolverent, ſemper tamen muci copiam eveherent, poſtmodo ſola enemata quovis biduo dabantur, quæ quia levabant, quotidie abhinc ſemel iterumve injiciebantur. Horum per 6 fere hebdomades uſu ingens pituitæ vitreæ vis eſt educta. Continua tamen urgente nauſea datum □ri emetici gr. j ſimilem etiam pituitam excuſſit. Quo facto redibat appetentia, flatusque ac dolores remittebant. Continuatis inde 3° vel 4° quoque die enematibus, uſuque roborantium, carminantium, ac ſtomachicorum ſubjuncto, ægra tandem poſt 28 hebdomades priſtinam recuperavit valetudi-

nem. In primis vero Opium ſæpe utilius in clyſmate, quam ore, datur. „ Methodus, „ inquit R. WHYTT (*a*), quæ mihi hocce in „ caſu optime ſemper ſucceſſit, eſt, impera„ re aquæ tepidæ potum, ubi vel minimam „ æger vomituritionem experitur, ut ſtoma„ chus evadat purus. Poſt hoc ordino ene„ ma ex ▽æ ℥vj cum laudani gtt. 50 ad 80; „ id quod multo eſt ſecurius, quam lauda„ num ore aſſumptum; ſiquidem ſæpe iterum „ evomitur, et quandoque dolores ſpaſmum„ que ventriculi adauget. Quod ſi poſt evani„ dam enematis anodyni energiam dolor ac „ ſpaſmus majori cum vehementia revertantur, „ alterum dari jubeo cum priſtina vel majori „ laudani copia, et 4a quoque hora præbeo „ cochlearia ij Julepi hic indicati. Si vero æger „ alvum habeat conſtipatam, enemati anody„ no præmittendum eſt enema alvum ciens „. Julepus autem ab Auctore indicatus eſt ſequens:

℞. Moſchi ℈ij optime terendo cum
Sacch. alb. ʒij dein adde
Mucil. gumm. Arab. ℥ß
▽æ Cinnam. ſ. vino
Menth. piperit. aa ℥ij
aromat. ʒvj. M.

(*a*) l. c. p. m. 580.

CAPUT III.

CUCURBITULAE.

§. 77.

CUCURBITULA *ſicca* in cardialgiæ chirurgia duplicem habet uſum, attrahentem unum humores ad cutim, alterum ad intropreſſam cartilaginem xyphoideam (*a*) priſtinum in ſitum reſtituendam. Quantum ad primum attinet „ docet GALENUS cucurbi-„ tulam ventriculo admotam illius dolores „ citiſſime reſolvere inſtar incantamenti. Hæc „ tamen cautio adhibenda eſt, ut nihil aut „ parum humoris crudi in ventriculo lateat; „ alioquin dolorem intendit „ inquit L. RIVERIUS (*b*); i. e. cardialgia, cui cucurbitula adminiſtranda eſt, non debet a cauſa ſtomachi cavo hærente provenire, ſed ab humoribus ejusdem ſubſtantiam laceſſentibus, intra vaſa contentis. De altero autem cu-

(*a*) Vide §. 16.

(*b*) Prax. med. l. c. p. m. 347.

curbitulæ uſu ita P. BARBETTE (*a*): „ cartilago mucronata ſterni frequentius, quam „ quidem Practici annotant, indebite incurvatur . . . ſicque mucrone ad interiora „ vergens ventriculum premit; unde appetitus proſtratus, aſſumptorum vomitus, „ imo ventriculi continuus dolor, totiusque corporis atrophia. Quod vitium anatomiæ periti facillime tactu deprehendunt, „ et interjecto paucarum horarum ſpatio curatione auferunt, quo alias ad annos plurimos homines miſerrime divexantur. Ut „ vitium hoc emendes, ſolummodo cucurbitula ventoſa amplioris orificii exterius „ cuti, cui cartilago ſubjacet, applicetur, „ ſicque illi affixa relinquatur, usque dum „ inſpiratio impeditur, ſubito tunc removeatur, et cartilago dicta ſæpius prima „ vice locum naturalem iterum occupabit. „ Quod ſi non contigerit, repetat chirurgus „ operationem ſemel aut bis, et præmiſſa „ illitione ol. roſar. et myrtill. emplaſtrum „ hoc apponat, per aliquot dies loco affecto detinendum:

(*c*) Opp. chirurg. anatom. P. 3. L. 1. C. 4. §. 2. p. 389. ſq.

℞. Rad. biſtort.
Nuc cupreſs. aa ℥j
Maſtich. Thuris aa ℥ß
Balauſt. ℈j
Ol. nucis. expreſs. ℥jß
Picis naval. et Tereb. q. ſ. M. F. empl.

CAPUT IV.

TOPICA.

§. 78.

TOPICA *medicamenta*, regioni epigaſtricæ ac ſcrobiculo cordis perinde utiliter applicantur, quæ ex ejuſmodi remediorum claſſe petere oportet, quam indicatio urgens vel maxime expoſcit. Unde liquet, non ejusdem ſemper indolis illa eſſe oportere, ut quæ alias emollientia, alias nervina, alias alia eſſe debeant. Varia etiam illorum forma eſſe ſolet, prout jam hæc jam illa aptior eſſe videtur. Hinc

1. *Fotus* nonnunquam adhibentur, quemadmodum P. FORESTI (*a*) „ mulieri „ Brabantinæ. . . 62 annorum, ſimili dolo„ re correptæ, cum tabulæ poſt purgatio„ nem ex elect. de dactylis ad ventoſitatem „ et pituitam ſtomacho infarctam et ſuſpen„ ſionem hypochondriorum exhibitæ eſſent, „ et non juvarent, neque linimenta apta, „ neque ventoſæ ſiccæ applicatæ ventriculo

(*a*) l. c. obſerv. 22.

„ (ſeu potius inter umbilicum et ſtomachum)
„ ſolo hoc fotu tandem dolor ſedatus eſt,
„ qui ita habebat;

℞. Rad. althææ ℥ß
Flor. roſ. rubr.
—— chamomill.
Summit. abſinth. aa M. j. Coq. in
🜄æ chamomill. et
— commun. ſ. q. pro ℔ jß in fine addendo
Vini Rhen. optimi
🜄æ roſar. et aceti aa parum, et F. fo-
„ tus, quo omnis dolor ceſſavit. Adeo il-
„ lud medicamentum approbavit, ac divi-
„ num appellabat, ut (Auctor) memoriæ
„ inſcriberet, ut alios ſimili malo laboran-
„ tes a dolore curaret. Ita quoque . . . fi-
„ lia . . . cum in dolorem ſtomachi intole-
„ rabilem incidiſſet, poſt purgationem univer-
„ ſalem adhibitam hoc ſequenti fotu ab omni
„ dolore incantamenti inſtar fuit liberata;

℞. Abſinth. commun. et Roman.
Fl. Chamomill.
— Roſ. rubr.
Menthæ aa M. j
Sem. Sumach.
Myrtill. ℥ß

Fl. Meliloti p. j. coq. in
▽ᵃ comm. pro ℔ jβ Colat. adde
Spec. diarod. abb. ℈ijβ
—— arom. roſ. ℈j
▽ᵃᵉ Roſ. ℥ij
✳ti Roſ. ℥jβ. Iterum ebulliant, et
„ F. fotus pro ventriculo „. *Frigidi* quoque fotus aut lotiones interdum profuere. J. S. HAHN (*a*) refert amicum quemdam artis medicæ peritum; ex quo pectus et epigaſtrium frigida ſedulo lavare cœpit, a cardialgia minus fuiſſe laceſſitum. Alteri quoque a fotibus ▽ᵃᵉ frigidæ malum idem ocyus inſigniter remiſiſſe, ac tametſi poſtridie illud reverſum fuerit, ac jam mitius quidem, a continuato fotu ac ſpontaneis aliquot vomitibus brevi levamen ſecutum fuiſſe, atque abhinc deſiiſſe cardialgiam. Porro febricitans quidam ad ædes Auctoris pro conſilio divertens veſperi ſpaſmo ventriculi correptus eſt, clamores exprimente. Linteum ▽ᵃ frigida imbutum ubi altera vice epigaſtrio fuiſſet impoſitum dolor ad ſtuporem evanuit, atque intra paucos dies cetera quoque ſymptomata

(*a*) Unterricht von Kraft und Wirkung des friſchen Waſſers Sect. 2. Cap. 3. p. 114. ſq.

deceſſerunt. Denique mulier imbecilla in quavis quotidianæ febris invaſione vehementem pectoris dolorem et vix ferendam cardialgiam multis cum vomitibus paſſa, ubi pro calefactis cygni exuviis fruſtum glaciei pectori ac ſtomacho appoſitum ibidem diffluere ſiviſſet, multum levaminis tulit; poſtmodo vero balneo temperato æquæ communis ſæpe uſu ita inde profecit, ut quæ plus quam Hippocraticam in morbo faciem ac manus habuerat, deinde hilaris evaſerit.

2. *Cataplaſmata*, quale illud fuit, cujus beneficio RIEDLINI (*a*) Parochus convaluit, vel illud, qui ALBRECHTI (*b*) mulieri dolorem ſuſtulit. Perinde J. C. GOETZIUS (*c*) refert juveni cardialgiam a perfrigeratione ac cereviſiæ frigidæ potu paſſo magnopere profuiſſe cataplaſma e fol. ſalviæ recent. cum butyro frixis paratum, ac ſcrobiculo cordis ventrique admotum. Ita „ in „ mentem venit, inquit AMATUS (*d*), olim „ quidam, qui cum male de ſtomachi dolo-

(*a*) Vide §. 30. n. 1. a).
(*b*) Ibidem b).
(*c*) Act. nat. cur. Vol. 2. obſ. 195. n. 8.
(*d*) l. c. Cent. 6. curat. 79.

„ re quereretur, ... muliercula aſſiſtens „ hunc ſolo calente pane diſſecto, et ſtoma- „ cho applicito, eum ſanavit „.

3. *Sacculi.* Commendat ARNOULT (*a*) ex BOYLEO mechoacannæ pulverem ope ſacculi admotum ſcrobiculo cordis, ita ut nudam contingat cutem. Multum quoque virtutis reperit F. HOFFMANNUS (*b*) in ſequenti:

℞. Herb. Menthæ
Flor. Chamom. vulg.
—— Samb. aa Mj.
Baccar. Juniperi
—— Lauri aa ℥ß
Sem. Cumini
—— Carvi
Caryophyllor.
Nuc. moſch. aa ℥ij M. conciſ. D. ad ſaccul. calid. applic.

4. *Linimenta*, quali uſus eſt FORESTUS (*c*) in ſacerdote, vel quale ab experientia propria commendat F. HOFFMANNUS (*d*), videlicet

(*a*) Diſs. ſur l'Effet des Topiques p. 31.
(*b*) l. c. cautel. §. 4.
(*c*) Vide §. 23. n. 4.
(*d*) l. c.

℞. Olei nuciſtæ expreſſi
Theriacæ aa ℥j
Balſ. Peruv.
Caſtorei
Croci aa ʒj
Olei caryophyllor.
—— de cedro aa gtt. xx.
Camphoræ ʒß M. F. litus.

L. MERCATUS (*a*) *oleum aniſi* ſtomachi regioni illitum miræ eſſe efficaciæ ait; et H. REUSNERUS (*b*) „ meus (ait) primogenitus „ cardialgia . . . adfligebatur . . . Huic ſecretum experimentum noſtrum magno cum „ fructu applicatum eſt: mucago ſem. cydon. „ miſceatur cum pingued. gallin. atque hoc „ linimento ter in die ungatur orificium ſtomahi deorſum verſus coſtas ſpurias. In „ plerisque ſequitur hanc unctionem dejectio excrementorum vireſcentium et fœtidorum, qua cardialgia ceſſat „.

5. *Emplaſtra.* „ Plurimos recenſere „ poſſem, inquit P. POTERIUS (*c*), qui ſo-

(*a*) Opp. T. 3. de intern. morb. cur. L. 3. C. 1.
(*b*) Obſ. med. 71. in G. H. VELSCHII ſyll. obſ. et cur. med.
(*c*) l. c. Cent. 3. Cap. 32.

„ lo cerato ex gummatibus Tacamahaca con-
„ valuerunt ex acerbiſſimis ventriculi dolo-
„ ribus . . . Caragna tamen magis eſt effi-
„ cax . . . Pix noſtra, quam navalem di-
„ cunt, iſtis non eſt inferior „. His METT-MÜLLERUS *(a)* plurimum perinde tribuit, præſertim addito balſamo Peruviano, pluresque inde probatas in medium adfert formulas; interea non immerito hyoſciamum in omni caſu ſatisfacturum ait. Multum etiam utilitatis ineſt emplaſtris ad recidivas prohibendas, velut R. WHYTT *(b)* teſtatur „ em-
„ plaſtro antihyſterico poſt dolorem ſpaſmoſ-
„ que fugatos ſtomacho impoſito reverſio-
„ nes morbi præpediri „.

6. *Magnes* denique arte paratus, ac ſuper epigaſtrio geſtatus, cardialgias profligaſſe certa fide narratur. Inclytus fama Aſtronomus M. HELL *(c)* retulit, matronam a cardialgia ſpaſmodica, nullis domanda remediis, viresque peſſumdante, tandem ope appenſi ad epigaſtrium artificialis magnetis intra 4 dies fuiſſe liberatam. Perinde mulieris

(a) l. c. p. 87.
(b) l. c. p. m. 581.
(c) Nachrichten von Magnet-Curen n. 3. p. 10.

meminit HARSU (*a*) inde a 10 vel 12 annis crebro ſtomachi ſpaſmo obnoxiæ, qui in dies et frequentior fiebat, et deterior; hæc ubi primum magnetes applicuit, dolores ſpaſmodici velut incantamento ceſſere, nec amplius reverſi ſunt, licet ægra a quatuor menſibus magnetes jam applicare neglexerit. Neque aliis hac eadem in re ſucceſſus defuiſſe ſcribitur (*b*).

(*a*) Ibidem n. 34. p. 178. ſq.
(*b*) Ibidem n. 29. p. 85. ſqq. et n. 32. p. 164.

CAPUT V.

BALNEA.

§. 79.

BALNEA, *ſemicupia*, *pediluviaque* cum in omnibus aliis doloribus, præſertim ſpaſmodicis, tum hic etiam ſunt perquam proficua; et in pertinaci dolore ad ea confugiendum eſſe monet L. RIVERIUS (*a*), imperatque 1° calidiora, 2° emollientia, 3° hora ½ vel 1 uſurpanda, et 4° remedia interna eodem tempore ſumenda. Atque ſic apud G. HORSTIUM (*b*) „ I. R.. . per 18 annos „ moleſtiſſimo dolore ſtomachi, ſæpius lipo„ thymiam inducente, cruciatur cum cibi „ potusque rejectione, qui. . . balneo Bol„ lenſi utens, infuſo medicato ſimul adhibi„ to, perfecte reſtituitur, fruſtra per tot „ annos aliis remediis adhibitis „. Pariter F. HOFFMANNUS (*c*) „ vir 30 annorum (in„ quit), generoſa ſtirpe ortus, robuſtæ alias

(*a*) l. c. p. m. 347.
(*b*) Epiſt. Lib. 2. Sect. 18. p. m. 600.
(*c*) l. c. obſerv. 8.

„ naturæ et ſtructuræ corporis, pectus et
„ præcordia vix unquam commodis tegu-
„ mentis defendit a frigore, ſed linteis et
„ levibus veſtibus munitum libero aeri omni
„ fere tempore expoſuit. Præterea et in-
„ gluviei et poculis deditus frequentius ad
„ ebrietatem vinis varii generis ſe immerſit.
„ His de cauſis acerbiſſimos ſæpe dolores,
„ diſtenſionem, lancinationem, cum inappe-
„ tentia, vomitu, anxietate circa ſtomachi
„ regionem eſt expertus. Enixe et anxie
„ remedium a me petiit. . . Miſi identidem
„ multa ad demulcendum dolorem interna
„ et externa alias apta; ſed ſperatus effectus
„ non ſequebatur, quia plane omnia diæte-
„ tica reſpuebat præcepta. Tandem conſi-
„ lium dedi, ut thermas CAROLINAS et Tœ-
„ plicenſes adiret, iisque cum regimine de-
„ bito uteretur; et inde etiam levamen . . .
„ inveniebat præſentaneum. Sed exiguo poſt
„ curam tempore inter initia autumni vena-
„ tionibus deditus frequentius pedes et fe-
„ mora in ſtagna et piſcinas demiſit: inde
„ valde refrigeratus, poſt varios cibos vi-
„ num in copia ingeſſit. Recurrit paroxyſ-
„ mus valde acerbus, qui etiam nundinis
„ Lipſienſibus. . . tam graviter eum affligc-

„ bat, ut omnem fere reſpirationem tolle-
„ ret, et partibus extremis ſudore frigido
„ perfuſis, crebroque recurrentibus animi
„ deliquiis, morti videretur proximus Fo-
„ menta calida externa et apta remedia in-
„ terna allevamenti parum attulerunt. Sua-
„ ſi, ut in balneum ſive potius ſemicupium
„ ex aqua et lacte paratum deſcenderet, et
„ per horam, imo amplius, in eo morare-
„ tur. Quo facto poſtea in lecto liquorem
„ anodynum mineralem cum dimidia parte
„ ſpiritus BUSSII remixtum ex aqua florum
„ chamomillæ vulgaris propinavi. Tum ſu-
„ dore prorumpente id conſecutus eſt, ut
„ dolorum vehementia remiſerit, alvus per
„ aliquot dies clauſa jam ſoluta, et calor ad
„ exteriora fuerit reverſus „. Pediluvia quo-
que adminiſtrata feminæ ADOLPHI (*a*) bene
ceſſiſſe eſt memoratum.

(*a*) Vide §. 74. n. 4.

CAPUT VI.

RUBEFACIENTIA, ULCERANTIA.

§. 80.

RUBEFACIENTIA vel *ulcerantia* remedia ſive ſtomachi regioni ſive alii parti externæ, omnibus aliis fruſtra ante in uſum vocatis, applicata acre nervos ventriculi laceſſens extrorſum ad cutem eliciendo haud raro dolorem ſpaſmumque ſolvunt. L. G. KLEIN (*a*) „ vidit cardialgiam chronicam rubefaciente „ per errorem loco ſtomachalis cataplaſma„ tis ventriculo ſuperdato, veſicis zonæ in„ ſtar excitatis cum inflammatione eryſipela„ tode multis, ſublatam feliciter in bibo„ ne „. Uſitatiſſima hic ſunt veſicantia e cantharidibus parata. J. SIMS (*b*) narrat feminam 20 annorum, ſanguineam, ubi a ſaltu æſtuans frigidam nauſiſſet, nocturnoque ſe frigori expoſuiſſet, in cardialgiam cum horrore incidiſſe. Poſtero ac ſequentibus die-

(*a*) Interpret. clinic. tit. Cardialgia p. 47.

(*b*) Bemerk. über epidem. Krankh. 3. Cap. p. 60. ſqq.

bus dolor quidem evaſit mitior, at alimenta omnia 3. 4ve a paſtu horis indigeſta revomebat. Cumque menſes tunc inſtantes emanſiſſent, accedens febris dolorem exaſperavit. Facta itaque Væ Se ſanguis inflammationis notis caruit. Ob alvum adſtrictam eccoproticum datum, etſi vomitu exturbatum ſit, alvum tamen ter quaterve movit. Sed nullum ab his levamen, uti nec a fotu, cerato, enematis, pharmacis, locique ſacrificatione, &c. Morbo ſic pergente mora ingeſtorum in ſtomacho, priusquam revomerentur, in dies fiebat brevior, ita ut in fine 2dæ hebdomadis horam vix æquarit; donec aliquot poſt diebus cibi ne tolerarentur quidem, et potus, ubi ſummo cum dolore in ſtomachum penetravit, continuo iterum revomeretur. Aderat intenſa ſitis, pulſus celer ac parvus, ſubdelirium, calente cute. Symptomata in momenta usque adeo creſcebant, ut potus cardiam vix attingens oborto anti periſtaltico ſpaſmo iterum per os eliderctur; qui œſophagi ſpaſmus celeriter intra aliquot horas altius pervenit, ut potus non ultra glottidem propelli potuerit: ſimul etiam caput ſingulis momentis magis afficiebatur. Hocce

igitur in ſtatu amplum veſicans toti ſtomachi regioni eſt impoſitum. Quo facto poſt 4 horas pulſus aſſurgebat, levabatur caput, et ægra intra breve tempus inſignem potus copiam hauſit ſine ulla moleſtia et dolore. Idcirco et levioris cibi aliquid impune aſſumpſit. Poſt 10 horas ob dolores veſicantis, ſpaſmumque ſtomachi et œſophagi ſublatum, illud eſt amotum; at lapſis ab hinc vix 3 minutis ſpaſmus ſtomachi et œſophagi rediit: ea propter e veſtigio veſicans eſt repoſitum, vitatis tantum locis cuticula nudatis. Inde bihorio poſt novum levamen obtentum, et obſervata morbi ad recidivam proclivitate veſicans diutiſſime ſuo loco relictum eſt: ulcusque poſtea unguento epiſpaſtico deligatum, Brevi hinc ægra convaluit, niſi quod catamenia in 2. 3ve menſes non apparuerint, et clavus hyſtericus aliaque nonnulla incommoda, queis ante obnoxia fuit, crebrius vehementiusque nunc inviſerent.

SECTIO III.

REGIMEN DIÆTETICUM.

CAPUT I.

ALIMENTA.

§. 81.

ALIMENTA in diætetico cardialgiæ regimine maximam ſui expoſcunt rationem habendam; quippe quæ et parti affectæ applicentur, et paroxyſmos ut plurimum reſuſcitent. Sollicite proinde illorum cum tempora, tum indolem et copiam ſpectare oportet; quandoquidem a ſingulis vel noxam vel utilitatem æger capere poteſt. Hinc

§. 82.

1. *Tempora* veſcendi in quibusdam ſunt multiplicanda, in iis nempe, qui jejuni ſeu ob vermes ſeu bilem, &c. a cardialgia vexantur. Quamobrem fratrem FORESTUS (*a*) monuit, jejunium ut magnopere devitaret.

(*a*) Vide §. 84.

§. 83.

2. *Copia* porro pro una qualibet refectione parcior iis eſto, quibus vel cartilago xyphoides intro vergens ſtomachum pleniorem laceſſit (*a*), vel nativa ventriculi anguſtia (*b*) majorem ejus repletionem non fert; ſed exiguitas hæc cibi per frequentiam veſcendi eſt compenſanda: quemadmodum Delphenſi puellæ FORESTUS (*c*) conſuluit.

§. 84.

3. *Indoles* denique ea ſit, oportet, quæ medicamenti vim habeat, ne dum augendo malo ſit idonea. Sic diæta lactea cardialgiam podagricam et in ſe ſuſtulit BRUNNERUS, et P. G. WERLHOFIUS (*d*) in aliis. In bilioſa vero cardialgia nihil eſt potu cibisque acidis melius. HIPPOCRATIS (*e*) „ mulier „ oris ventriculi dolore conflictabatur, qui

(*a*) Vide §. 16.
(*b*) Vide §. 17. n. 1.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Comerc. Nor. T. 4. A. 1734. hebd. 15. n. 3. p. 115.
(*e*) Epidem. L. 2. Sect. 2. §. 1.

„ non conquieſcebat. Hæc tenuiſſimo fari-
„ næ hordeaceæ polline mali punici ſucco
„ macerato ſemel die in cibatu contenta,
„ non revomebat „. Perinde P. FORESTUS
(*a*) germano ſuo, bilioſo juveni, cardialgiæ
a vectione currus, vehementive exercitio,
aut jejunio paulo diutius tolerato, obnoxio
cum ſubſequente bilis vomitu, facilique ani-
mi deliquio, conſuluit, ut jejunium vitaret,
motumque cum animi tum corporis vehemen-
tiorem; panem e vino diluto albo tenui fri-
gido caperet, tum ſuccum punici mali acidi;
ederetque lactucam cum aceto, &c. Sic
et ægro cuidam, ab ætate, temperie, vitæ-
que genere ad bilioſos morbos apto, inter-
dumque diarhœæ bilioſæ ac ſæpenumero ruc-
tibus amaris obnoxio, demum vehementi
cum cardialgia, vacuo in primis ſtomacho,
conflictanti, T. THOMPSON (*b*) idoneam im-
peravit diætam antibilioſam, præſertim vero
acidula nutrimenta; rheum præſcripſit, ubi
colluvici et cruditatum indicia ſe proderent;
ad dolores autem ſopiendos maxime oppor-

(*a*) l. c. Obſerv. 4.
(*b*) Samml. auſerl. Abhandl. zum Gebrauche
pract. Aerzte 3. B. 1. St. p. 16.

tunum cenſuit infuſum chamomillæ cum gtt. 10. vel 15 elix. vitrioli acidi in ſingulis infuſi vaſculis, identidem hauriendum; æſtivo denique tempore potum acidularum commendavit. Ita etiam v. RIEDLINI (*a*) vir plures annos ſodam ſub veſperam invadentem eſu ceraſorum acidorum ſiccatorum (quæ ſemper ſecum geſtabat) ſtatim compeſcebat. Soda hac præter morem ſilente alius inſtabat morbus, præſens vero ſanitatis quoque præſentis erat index. Cumque quondam homo hic abſceſſu pedis in aliquot hebdomades laboraſſet, ſoda ſua toto illo tempore caruerat. Diligenter autem vel maxime illa vitanda erunt, quorum ab eſu idioſyncraſia quadam cardialgia vel ſoda enaſcitur (*b*). Sic ab uvis largius aſſumptis ſodam poſt aliquot ſemper horas moleſtam experiebatur gravida v. RIEDLINI (*c*); donec tandem ab uvis abſtinens a ſoda quoque immunem ſe fecit. In nimis denique irritabilibus ſtomachis aliquando ſolidiore opus eſt nutrimento, teſte TISSOTO (*d*); enim vero „ uni-

(*a*) Lin. med. ann. 4. Auguſti 17. p. 677. ſq.

(*b*) Vide §. 13.

(*c*) Curar. medicar. millenar. n. 669.

(*d*) l. c. 2. Band 8. Cap. 3. art. §. 27. p. m. 44.

„ verſim (inquit ille) notatu perquam eſt
„ dignum, ſæpe cibos nimis leves ac tene-
„ ros, jura carnium, et aquoſa alimenta,
„ nimis laxæ ventriculi fibræ, nimis irrita-
„ bilibus muſculis, ac nervis ab acrimonia
„ quapiam ad p. n. ſenſilitatem deductis,
„ officere; contra ea ſolidum viresque chy-
„ lopoieticas exercens, imo et ſubinde ſub-
„ pingue et a ſano ſtomacho vix digerendum
„ nutrimentum a ventriculo ante dicto opti-
„ me digeri. Mulierem debili ſyſtemate
„ nervoſo nervisque ſtomachi usque adeo
„ ſenſilibus præditam, ut omnia, quorum
„ periculum fecit, alimenta, præſertim le-
„ via ſub inſignibus doloribus revomuerit,
„ uno hoc ſervavi conſilio, ut ſolis panis
„ cruſtis butyro conditis ac frigida paſta fa-
„ rinacea piſta veſceretur. Quibus ſolis ubi
„ 4 menſes uſa eſt, deinceps horæos quo-
„ que fructus jam edere ipſi licuit„. Ex ad-
verſo autem, ubi ad leviſſimum quemque
ſtimulum acrem indignatur ſtomachus, blan-
diſſimis opus eſt alimentis. TISSOTUS (*a*)
perinde „ ægrum novit, cujus nervi prima-
„ rum viarum a fortibus pharmacis tantam

(*a*) Ibidem p. 46.

„ nacti ſunt ſenſilitatem, ut ab omnibus nu-
„ trimentis graviſſimi naſcerentur dolores,
„ ipſeque poſt numeroſa experimenta' circa
„ perferendorum alimentorum delectum cap-
„ ta coactus fuerit per annos haud aliis ve-
„ ſci, quam pane inſulſo, jure ex inteſtinis
„ decoctis parato, et cucurbita in aqua ſine
„ ſale decocta; ab omnibus aliis cibis poti-
„ busque ad vehementes usque dolores et
„ anxietates ſtimulabatur „.

CAPUT II.

SALIVA.

§. 85.

SALIVA *deglutita* uberius quantum ad ſodam valeat compeſcendam credi vix poteſt. Narrat equidem F. E. BRUCKMANNUS (*a*) virum quempiam pridie rheumatiſmi ſcapulæ ac febris catarrhalis in ſodam incidiſſe, quam triangulari carpionis lapide ſub lingua detento confeſtim ſedavit, retulitque id multoties jam ab ſe ſuaque matre fuiſſe factitatum, quin unquam fefellerit, ſibique id e LONICERI herbario (ſub tit. de carpione) innotuiſſe. Suſpicatur autem Cl. Obſervator, a lapillo carpionis copioſiorem ſalivam fuiſſe prolectam, quæ acre cardiæ inſidens deglutita abſterſerit, correxeritque digeſtione promota; nec abs re etiam credit, carpionum lapilli in locum quodvis aliud corpus durum ſuffectum idem præſtiturum, id quod PERCI-

(*a*) Commerc. Nor. T. II. A. 1741. hebd. 23. n. 1. p. 177.

VALII (*a*) caſus evincere videtur de viro diuturnam ſodam perpeſſo, qui ſæpius obſervavit, deglutita copioſa ſaliva malum leniri: quam proinde uberius prolecturus, quotidie multis horis fruſtum plumbi maſticabat, idque plurium annorum decurſu, cum ſummo levamine.

(*a*) Medicin. Commentar. von Edinb. 3. Th. 2. Stück 2. Abſch. 6. Artic. p. 215.

CAPUT III.

PATHEMATA ANIMI.

§. 86.

PATHEMATA *animi* quantum in morbis nervorum, quorum in cenſum cardialgia quoque referenda eſt, rationis imperium expoſcant, nemo non videt: ſummopere hic vitanda ira, mœror, terror, &c. quandoquidem ſolis his interdum ægritudo debetur (*a*). Mire tamen proficuum in ſoda aliquando fuiſſe obſervatum eſt *phantaſma* aliquod placida mente conceptum, animoque alte impreſſum, quod illum a ſenſu interni mali præſentis velut extrorſum avocando ſodæ moleſtian abolere ſolet. Atque hujus loci eſt, quod J. AGRICOLA (*b*) memorat: „ ridiculum nuper (inquiens) experimentum adverſus ſodam vidi, dum quiſpiam ſola funis unguento piſſino e rota defluente illiti, et in domus angulo penduli, phantaſia apud ſe excitata ſodam profligavit „.

(*a*) Vide §. 22.

(*b*) Chirurg. parv. Tract. 2. p. 251.

Riſum ſane hujus experimenti lectio etiam P. ROMMELIO (*a*) movit, et cum in convivio non nemo ſodam ſe nullis remediis methodicis domandam ſæpiſſime pati quereretur, joci ergo phantaſiam modo dictam illi ROMMELIUS remediorum in locum commendavit; et ecce! ridente Philoſopho non iſte modo, ſed plures etiam alii abhinc ſola hac ridicula meditatione apud ſe excitata ab ſoda liberabantur. Mihi quoque notus eſt vir 60 annis major, cui ſoda quolibet veſpere usque adeo moleſta revertebatur, ut demum omnium ingeſtorum vomitu finiretur. Suaſi eandem illam phantaſiam animo intento acriter diuque verſandam, eo cum ſucceſſu, ut per plures hebdomades nullo alio ad fugandam ſodam egeret remedio; ſed ubi mens phantaſiæ huic demum aſſueviſſet, non amplius profuit. Ejusdem proſapiæ credit R. F. OVELGÜN (*b*) eſſe *Carlinam ſilveſtrem*, cujus geſtatione linteonem quemdam ab ſoda liberatum novit, et cujus ſolo etiam aſpectu iſthanc fugari G. W. WEDELIUS (*c*) teſtatur:

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 8. obſ. 179.

(*b*) Nov. act. nat. cur. T. 2. obſ. 45.

(*c*) Amœnit. mater. med. L. 1. S. 3. C. 8. p. 175.

„ in mentem (inquit) venit, quod ad ar-
„ dorem ventriculi ſeu ſodam curandam in
„ aulis quibusdam ſolenne eſt uti Carlina
„ ſcandente, poſt florem perfectum in ſe-
„ men fatiſcente, quæ ſolo obtutu eandem
„ curat. Novimus nobilem eruditiſſimum,
„ qui malo iſto mirum quantum vexatus una
„ hac utitur antidoto cum inſigni ſucceſſu „.

CAPVT IV.

MOTUS CORPORIS.

§. 87.

MOTUS *corporis* denique pro re nata vel inſtituendus vel vitandus eſt, præſertim certis quibusdam temporibus. In ſoda quietem a paſtu commendat TH. MERMANNUS (*a*): ,, affectus ,, hic (ajens), ut quotidiana obſervatione di- ,, dici, iis potiſſimum familiaris eſſe conſuevit, ,, qui et vini potu, præſertim largiori, pran- ,, dium claudunt, et mox a cibo vel equi- ,, tando vel alio validiore motu intempeſti- ,, ve corpus exercent; ut propterea a noſtra- ,, tibus *equitum morbus* non impropric paſ- ,, ſim appelletur ,,. Alioquin vero, ubi ſtomachi debilitas, digeſtionisque difficultas, adeſt, ſalubri motu exercere corpus erit perquam utile, iis præſertim, qui ſyſtema nervoſum nacti ſunt mobile; his enim omne exercitiorum genus conducit.

(*a*) Conſult. medic. Lib. 3. Conſ. 14. p. 195.

HISTORIA I.

AMATI LUSITANI (a).

Siſtens cardialgiam febrilem bilioſam Veterum medendi methodo ſanatam.

Monachus lignipes juvenis . . . graviter 3na correptus ad nos venit, qui cum paroxyſmo corripi incipiebat, ita ventriculi dolore cruciari quoque incipiebat (*b*), ut alta voce ad mediam horam clamaret: qui dolor non aliunde, quam a bile acri ex jecore ad ventriculum fluxa ortum trahebat (*c*), quæ ſua acredine et mordacitate dolorem inferebat. Proinde nos cauſam morbi tenentes, eam clyſteribus ante paroxyſmum horam unam vel alteram immiſſis divertendam curabamus, et buccellam panis comedendam elargiebamur, intinctam ſucco granatorum acetoſorum (*d*), ut robo berberorum aut ribes, aut ſucco cotoneorum auſterorum, aut ma-

(*a*) l. c. Cent. 6. curat. 79.
(*b*) Confer. §. 25. n. 2. b).
(*c*) Confer. §. 19.
(*e*) Confer. §. 84.

lorum acidorum, aut oxyſacchara ſimplici, aut robo myrtillorum, aut aliquo horum ſimilium; nec minus tunc ventriculus roborabatur linimento (*a*) parato ex oleo myrtino, roſaceo, et cotoneorum, in quibus . . . maſtiches et thuris parum primo inferbuerat, et colatura facta prædictis oleis miſcebatur ℥ roſarum rubearum non completarum, corallorum, coriandrorum præparatorum, et cum pauca cera alba linimentum parabatur. . . . Iis monachus hic melius habuit, et præparata materia ac expulſa, et jecore et ſpina dorſi nonnullis frigidis contemperatis, a dolore liber factus fuit; morbus tamen ad aliquot dies perſeveravit, qui poſtea errando in 4nam mutatus eſt.

(*a*) Confer. §. 78. n. 4.

HISTORIA II.

E. R. CAMERARII (*a*).

Exhibet rarum cardialgiæ continuæ, catarrhalis (ut videtur) caſum, diuturno remediorum uſu percuratæ.

Vir ſacrorum curam gerens, 50 circiter annorum, ſanguine alias acribus ſalſis volatilibus tincto particulis præditus, vultum rubicundum monſtrans, habitum corporis graciliorem, . . . ſuum exponit ſtatum ſequentibus circiter verbis: doleo absque intermiſſione ſcrobiculum cordis, ut vix tangere illum audeam; comprimuntur pectus meum atque præcordia, nonnunquam in lateribus pectoris, ut et hypochondriis lancinantes pungentes quaſi colici dolores me torquent, ut reſpirationem ſufflaminent; flatibus diſtendor; partes corporis mei ſenſim emaciatæ tabeſcunt (*b*); appeto cibum, ſed vix aſſum-

(*a*) Diſſ. de hiſtoria cardialgiæ ſublatæ p. 3. ſqq. Reſp. E. BACKMEISTER 4. Tubing. 1683.

(*b*) Confer. §. 29. n. 2.

ptus mox comprimentem excitat dolorem (*a*); calore intenſiori non uror; catarrhis frequentibus obnoxius ſum, ſæpius odontalgia cum vigiliis, haud raro coryza, me turbant: venam cum ſecari curo, ſanguis valde floridus, ſplendide rubicundus, tenuis, non viſcidus, apparet; alvus libera eſt; diætæ leges obſervo ſtrictæ, vini potu excedo nunquam. Permultis jam uſus ſum . . . purgantibus pilulis, potionibus, ſyrupis; elapſa modo ſeptimana vinum bibi medicatum: ſed hæc ſingula, quamvis et per inferiora et per ſuperiora eduxerint, non ſolum renitente, ſed et quotidie increſcente malo cum doloribus. Metuo febrem hecticam, quam Medicus quidam prædixit. Urinam ſimul monſtrat flavam, naturali plus tinctam. Petit enixe conſilium Medici, qui . . . penſitatis tam querelis iſtis, quam aliis ad varia quæſita reſponſis, nimirum vomitum, cordis palpitationem, tuſſim, dyſpnœam, cephalalgiam continuam, &c. abeſſe, . . ſequentem obſervandam injunxit methodum: verno hoc tempore . . . æger quavis hora matutina 6ª vel 7ª, et veſperti-

(*a*) Confer. §. 6. c) 1).

na 4ª ſequentis pulveris ℨß cum 4 cochlear. quantitate MRam aſſumat:

℞. Ebor. ppt.
C C. phil. calc.
Tab. man. CHR. perlat. aa ℥ß
Cryſtall. ppt.
Ocul. 69 ppt. aa ℨiij
Specif. antiheƈt. POTER. ℈jß. M. F. 🜍

℞. Aqv. tarax.
—— ſenec. aa ℥jv
Syr. rub. id. ℨvj. M. D.

Externe partibus dolentibus inungatur calide m. & v. oleum ſequens:

℞. Ol. lumbric.
— abſinth. aa ℥j. M. D.

Pulvere conſumpto quieſcat a medicamentis per aliquot dies; poſt 3 aut 4 ſeptimanas quovis manē brodii ſequentis herbis alterati calide ℔ ß hauriat:

℞. Fol. violar.
—— acetos.
Rad. cichor. ſingul. recent. aa M. ß.
Conciſ. ac contuſ. coq. in
Juſcul. carnis non ſalit. ℔ ß. Colatura, ſi lubet, paſſulis aut macere condiri poterit. Circa autumnale tempus pulveris prioris uſum repetat. Cum exacerbata recenſita

furunt quaſi ſymptomata, noctu ante ſomnum ſeq. deglutiat pilulas:

℞. Extr. pap. compos. gr. vj.
Theriac. cœl. gr. ij. M. F. pil. n. vj. deaur.

Hæc juxta diætæ ſibi certos ponat limites, quos ne tranſiliat, cavendum. Aerem vitet turbidum, nebuloſum, a radiis ſolis nimis fervidum; abſtineat a cibis concoctu difficilibus, fumo induratis, nimium ſalitis, aromatiſatis, frixis, pinguibus, pultaceis, aceto, lacte; vinum bibat, dum ordinario cibum capit tempore, non auſterum, non generoſum, ſed mediocre; alio tempore ſi ſitis urgeat, dococtum rad. cich. recent. in aqua fontana ipſi opponat. Mœror, terror, ira, exulent: lucubrationes vitandæ, curæ moderandæ ſunt: motus ante et poſt cibum inſtituendus modicus. His omnibus cum obtemperaſſet, . . . a dictis doloribus ac moleſtiis . . . liberatus ſuo iterum fungitur munere.

HISTORIA III.

L. HEISTERI (a).

Cardialgiæ ſpaſmodicæ hypochondriacæ medendi methodum tironi ob oculos ſiſtens.

Juris Profeſſor, hypochondriacus, multoque ſtudio diſtrictus, crebris ſtomachi doloribus ſpaſmodicis obnoxius, alvo nihilominus ſemper libera, cum A. 1711. menſe Auguſti vehementem rurſus pateretur cardialgiam cum anxietate, largoque ſudore, opem petenti præſcripſi:

1. ℞. ☿ Marchion.
Specif. ceph. MICH. aa ʒß
Laudan. opiat. gr. j. M. F. ⅌ div. in 3 part. æqv. S. omni hora n. j cum ſequenti MRª, usque dum remittat dolor, inſultusque evaneſcant:

2. ℞. ▽ᴿ vitæ MATTH.
— maſtichin.
— card. ben.
— menth. aa ℥j

(a) Medic. chir. u. anat. Wahrnehm. 1 Band n. 97.

Eleoſacch. mac. ʒβ

Syrup. cinnamom. ʒij. M. D. cum pulvere ſumenda, et ſeorſim quoque intermedio tempore ad cochl. j. capienda.

3. Theriaca forma ampli cerati ſtomacho apponatur, eique ſuperponatur ſacculus herbis roborantibus (v. g. Menth. Roſmar. Salv. flor. Chamom. aa M. j) repletus. Ab his illico convaluit; præſertim vero MR^a adeo erat efficax, ut hac ſola (reliquis neglectis) revertentes ſtomachi dolores (id quod ſæpe accidit) in poſterum confeſtim ſemper fugarit, nec ullum præſentius remedium ſit expertus.

HISTORIA IV.

EJUSDEM (*a*).

Paradigma cardialgiæ ſpaſmodico-flatulentæ, ab ingeſtis flatulentis ortæ, curandæ.

Juvenis 24 annorum poſt affatim comeſtos fructus horæos (*b*), hauſtamque deſu-

(*a*) l. c. n. 170. p. 302. ſq.

(*b*) Confer. §. 18. n. 3.

per aquam frigidam, in vehementem incidit ſtomachi ad ſcrobiculum cordis dolorem cum anorexia, apoſitia, alvo obſtructa, lotio turbidiſſimo, umbilicoque admodum introtracto, ac magna anxietate. Idcirco hanc medelam inſtitui:

1. ℞. ♄ Rhei opt. ʒj
Arcan. dupl. gr. x
Ol. deſtill. Aniſ. gtt. ij. M. F. pulv. eodem illico mane ſumendus e jure calido; et deſuper ½ quaque hora juris cumini cochl. aliquot ſumantur.

2. ℞. Eſſ. carmin. WEDEL. ʒij
— cort aurant. ʒj
— anodyn. ℈ij. M. Sumat inde 3ª quaque hora gtt. 45 ad 50 e jure calido vel infuſo chamomillæ.

3. MRª in præcedenti hiſtoria deſcripta perinde uſui data, præſcriptaque Theriacæ ʒij, ut ſi dolor noctu rediret acerbior, bis terve illius ad cultri cuſpidem caperet (*a*).

4. Sacculi calidi abdomini e menthæ criſpæ, fl. chamom. et ſem. cumini aa M. j applicandi imperati. In cibum jus carnium vel cumini pauxillo croci ac fl. macis conditum

(*a*) Confer. §. 52.

conceſſum, potui vero præter infuſum chamomillæ veſperi vaſculum vini calidi cum ſaccharo, in quo ℥β pulveris cortic. aurant. ebullierat, datum (*a*). Ab his convaluit.

HISTORIA V.

EJUSDEM (*b*).

Cardialgiam qualibet fere nocte revertentem, binis formulis compoſitis curatam continens.

Septuagenario militi adverſus ventriculi ſpaſmum magnis cum doloribus quavis fere nocte vexantem petenti conſilium exhibebantur ſequentia remedia:

1. ℞. ▽* cinnamomi. ſine vino
— maſtichinæ aa ℥ijβ
Elixir. vit. MATTH. ℥j.
Elæoſacch. mac. ʒj M. S. præſente dolore omni ¼ horæ cochl. j.

2. ℞. Sal. Abſinth.
Arcan. dupl. aa. ʒiij

(*a*) Confer. §. 63.

(*b*) l. c. n. 637. p. 1053.

Cinnab. nativ. ℥ij

Aur. fulmin. ℈j

Ambr. gryſ. gr. iij. M. Sumat hora 6ª veſpertina binas cultri cuſpides cum præcedente MRª. Quorum ab uſu optime habuit.

HISTORIA VI.

F. HILDANI (a).

Cardialgiam cum delirio gravi ſiſtens, cui aquæ potus occaſionem præbuit. Suſpicatur Auctor ab inſecto cum aqua hauſto ortam, ut in alio idem vidit (b).

Domeſticus quidam . . . vir robuſtus, optimoque corporis habitu præditus, et 30 circiter annorum ætatis, cum A. 1616. 23 Febr. . . ſtatim a prandio urbem egrederetur, nec non ex fonte ante portam inferiorem urbis ore admoto tubulo fontis maximum hauſtum avide bibiſſet, ſtatim dolor ventriculi exortus eſt, qui paulatim adeo exacerbatus fuit, ut non niſi ſumma cum diffi-

---

(a) l. c. Cent. 4. obſ. 38.

(b) Confer. §. 30. n. 1. a).

cultate ad ædes nobilis ſui redire poſſet. Quo cum perveniſſet, talis fuit dolor et cruciatus, ut 2 vel 3 viri quantumvis fortes ipſum vix retinere poſſent, ne impetu ſuo veluti phreneticus ſpondam diſrumperet. Ego cum . . . nauſeam adeſſe viderem, ſtatim maximum hauſtum aquæ tepidæ cum oleo communi propinavi. Paulo poſt provocato vomitu cum ter quaterve evomuiſſet, dolor aliquo modo ceſſavit; et qui paulo ante mente captus et furioſus fuerat, paulatim ad ſe redire et ſapere cœpit. Sed quia inquietudines et dolores adhuc inſtabant maximi, poſt evomitiones ſumpto juſculo, et hauſto lacte amygdalino, circa 10^am^ noctis non nihil nepenthis et confectionis Alkermes cum aqua cinnamomi diſſolutis exhibui. Quievit ſatis bene ea nocte. Sequenti die dedi potiunculam purgantem: hinc cum bis terve evomuiſſet, et alvus aliquoties ſubducta eſſet, deinde quoque infuſo vini abſinthii, menthæ, cardui benedicti, et ſimilibus, quæ ventriculum roborant, uſus fuiſſet, intra paucos dies pleniſſime convaluit. Quæ autem hujus doloris fuerit cauſa præcipua, non facile mihi perſpectum eſt; cum alioquin aqua illa ſatis ſit ſalubris, et fons ille præ aliis

laudetur. Utinam adſtantes diligentiores fuiſſent, et materiam, quam evomuit, antequam abjicerent, prius . . . mihi monſtraſſent! Ex inſpectione illius procul dubio certius de vera cauſa judicium fieri potuiſſet.

HISTORIA VII.

W. TH. RAU (a).

Cardialgiam cum enormi ſtomachi ſenſibilitate, indeque natam hecticam, et utraque demum curatam, proponens.

Clericus quidam ætatis 51 annorum, ſanguineo-cholericus, multis abhinc annis paſſionibus hypochondriacis, hæmorrhoidibus anomalis, interdum decoloratis, interdum albis, obnoxius, alvique obſtructionibus et flatulentiis vexatus, cardialgia ſpaſmodico-flatulenta graviter decubuit, a qua quodammodo liberatus circa initium A. 1747 denuo cardialgia cum ardore ſtomachi, phlogoſibus, ſiti, inappetentia, alvi pertinaci obſtructione, et dolore lumbari, correptus

(a) Act. nat. cur. Vol. 9. Obſ. 30. p. 150.

fuit. Medicus . . . malum pro febre continua meſeraica, tunc temporis epidemica, habuit, et varia temperantia et bezoardica fixa, conjuncta eſſ. alexipharmaca, eidem oppoſuit; ſed ſub horum, præſertim eſſentiæ, uſu de intolerando fere ardore et æſtu ventriculi conqueſtus fuit, qui brevi adeo increvit, ut nulla penitus eſculenta ferre potuerit æger, inſuper potus quoque ingeſtus ſtatim prægravationes pectoris, et ventriculi, crebrioresque ructus, ipſi excitaverit: ex quo factum, ut ſudor copioſus et colliquativus corpus tabidum penitus emaciaret, et æger conſumptis ob rebellem agrypniam viribus, cum pulſu debili celerrimo, perpetuo lecto affixus jaceret, et per alvum nec feces nec flatus per 3 continuas ſeptimanas emitterentur, inſimulque etiam urina flammea parciſſime ſecederet. . . . Præcedentem cardialgiam ventriculi eroſionem reliquiſſe, ex qua hectica ſtomachica enata fuerit (*a*), haud injuria conjiciebam; ſed ægro aliquid exhibere, quod ventriculus absque moleſtia ferret, hoc opus hic labor erat. Hunc ta-

(*a*) Confer. §. 29. n. 2.

men in modum . . . feliciter rem geſſi: quovis bihorio cochleatim exhibui hanc MR.am:

℞. ▽æ Chamomill. ℥ij
— Millefol.
— Menth. aa ℥jβ
— Perlar. ℥β
Nitri purif.
Rhab. Or.
Cort. Peruv. aa ʒβ
Matr. perlar.
Cinnab. nativ.
C. C. ſin. ign. ppt.
Gumm. Arab. et Tragac. aa ℈j
Mucil. ſem. Cydon. c. ▽a rub. id. parat.
Succ. Citr. rec.
Syr. papav. rh. aa ℥β M.

Ad ventriculi ardorem demulcendum, ſomnumque conciliandum

℞. MP. balſam. ʒβ
Extr. cort. Caſcarill. ℈β
—— Chamomill. gr. xij
Theriac. cœl. gr. viij
Balſ. Peruv. q. ſ. M. F. pil. pond. gr. ij.

n. 30 obduc. ⊙. Doſis quavis nocte 10. Pro potu ſit hordeum mundum groſſius cum paſſulis minoribus in ſero lact. caprill. decoctum, addito poſt colaturam pomi Citri in

taleolos inciſi dimidio, et ſacchari tantillo. Pro alimento nil niſi juſcula hordeacea et carnea adſumantur, in quibus gelatina C. C. cum ſucco citri et conf. Alkerm. paratæ cochlear unum et alterum ſolvatur. Verum ſi tepide tantum hæc adſumeret, ſtatim inſignis ardor et prægravatio ventriculi cum præcordiorum anxietate ſubſequebatur. Hinc ſuaſi, ut æger etiam juſcula frigide adſumeret. Quo facto verbis mihi ſe ſatis exprimere haud poſſe teſtatus fuit, quam egregiam inde refectionem absque ulla noxa ſenſerit. Ad alvum ſolvendam clyſma injectum fuit domeſticum ex juſculo carnis cum ſem. aniſ. et carvi decocto, addito ol. olivar. vitell. ovor. et ſale communi, quo multæ ſiccæ et nigricantes ſordes cum flatibus excretæ ſunt. Dolor lumbaris applicatis ad anum hirudinibus conquievit. Poſtea ex uſu ſequentis electuarii alvus quotidie cum euphoria fuit reſerata:

℞. Extr. pulp. paſſul. minor.
Conſerv. fl. tunic. aa ℥ß
℥ Rhabarb. Or. ʒij
— Cort. Peruv. elect. ʒiij
— ſtom. BIRKM. ſine ſacch. ℈jv
Gumm. Arab.

Gumm. Tragacanth.
Spec. diacret. MYNS.
Nitr. purif.
Lap. ♋ ppt. aa ʒß
Corall. rubr. ppt ℈j
Flaved. cort. ☉ ℥ß
Balſ. Peruv. ℈j
Syr. roſ ſolutiv. ℥iv. M.

Doſ. quater de die quantum duæ cultelli cuſpides capiunt. Nihilominus ardor ventriculi, æſtus internus, et crebriores phlogoſes, acriter vigebant, et urina adhuc parcius reddebatur. Hinc ſequentem præſcripſi emulſionem:

℞. Sem. 4 frigid. major. aa ℈ij
—— Cannabis
—— Papav.
—— Violar. aa ʒj
Aquæ Rub. id.
—— Chamomill.
—— Millefol.
—— Menth. aa ℥jß F. l. a. emulſ.
Colat. add.
Nitri purif. ℈ij
Gummi Arab. et Tragac. aa ℈j
Aquæ perlar.
Syr. dialth. FERNEL. aa ʒvj M.

D. ſæpius cochleatim. Sic etiam ſymptomata imminuta fuerunt. Aſt ancilla mihi retulit, aſſumpta juſcula hordeacea indigeſta plane per alvum fuiſſe dejecta, non ſine ventris torminibus, ideoque ut tonus ventriculi et canalis alimentarii firmaretur:

℞. Extr. calam, aromat. ℥j
—— cort. caſcarill. aquoſ. ℈ij
—— millefol.
—— gentian. rubr. aa ℥ß
Nitr. purif. ℈j. Solv. in
▽æ menth. ℥jß. M. doſ. 60 gutt. bis de die. Hoc elixirium ominoſam illam lienteriam ex voto ſuſtulit, et æger jam ex uſu juſculorum refectionem ſenſit. Supra memorato autem electuario, cum paulo fortius alvum moviſſet, poſt ejus conſumptionem aliud mitius et magis roborans ſubſtituendum cenſui, quod talis erat compoſitionis:

℞. Conſerv. Menth. ℥ß
♁ cort. Peruv. ℨ iij
—— Caſcarill.
— Rhabarb. Or. aa ℨij
Rad. Zedoar.
Nitr. purif. aa ℈jv
Gumm. Arab.
—— Tragacanth.

Lap. 69 ppt. aa ℈ij
Flaved. cort. ☉ ℥β
Balſ. Peruv. ʒβ
Syr. flor. tunic. ℥jv. M. Utendi modus erat ut prioris, ſed non idem effectus; alvina enim excretio per aliquot iterum dies ægrius ſucceſſit, flatusque retenti phlogoſes et pungitivum dextri hypochondrii dolorem excitarunt, ut quamvis appetitu redeunte ventriculus ova ſorbilia aliaque eupepta jam ferret, virium tamen incrementum vix ſenſerit ægrotus: uſui itaque electuarii interpoſitus fuit hic pulvis viſceralis:

℞. ♁ cort. Peruv.
— ſtom. BIRKM. ſin. ſacch. aa ʒj
Rharbarb. Or. ʒiij
♁ CORNACH. ʒβ
Nitr. purif. ℈jv
Criſtall. ♃ri ℈ij
Lap. 69 ppt.
Matr. perl. ppt. aa ʒβ
Macis ℈j
Sem. Aniſ. ʒj
Flaved. cort. ☉ ʒij
Ol. de Cedro gtt. vj. M. F. pulv.

Hujus uſu alvus rite ſoluta fuit, flatuum moleſtia et phlogoſes ceſſarunt, ventriculus be-

ne ſe habuit, ut pauxillum vini Neccarini nullum ardorem aut ſenſibilem calorem crearet, et æger viribus redeuntibus, et carnoſo corporis habitu opinione citius recuperato ſpatio 4 ſeptimanarum plenarie convaleſceret. Poſtquam . . . per ſemeſtre integra ſanitate gaudens vixiſſet, ex vehementi iracundia et mentis mœrore concepto, nec non ex ingluvie acetariorum, denuo de ventriculi indigeſtione et prægravatione, oris ſiccitate, flatulentiis, torminibus, et alvi ſegnitie conqueri cœpit. Præſcripſi primo pulverem ſequentem poſt meridiem et veſperi in ▽ª cinnamom. ſine vino adſumendum:

℞. ☿ antiſpaſmod. ℥j
Rhabarb. Or. ℈j
Magneſ. alb. ℈ß
Cort. Peruv. ℥ß M.

Exinde vero nihil levatus fuit, ſed potius phlogoſes cum intercurrentibus horripilationibus, pulſus inſimul celeritas, ſitis, ardor, et prægravatio ventriculi poſt quævis aſſumpta, et plenaria inappetentia, priſtinam ludi tragœdiam ipſi ægro perſuadebant. Ideoque ob alvum iterum pertinaciter ſuppreſſam ſequens præſcripſi apozema:

℞. Fol. Senn. ſ. ſt.
Paſſul. min. exacinat. aa ℥ß
Fl. Chamomill. vulg. p. j
Crem. ♁ri
Cort. Caſcarill. aa ℈ij
Sem. Aniſ. ʒ ß coq. in
▽æ ſimpl. q. ſ. ad reman. ℥jv in quibus diſſolve
Mannæ Calabr. ʒvj
Nitri purif. ʒß
▽æ Cinnam. ſ. vin. ʒij
Syr. Roſar. ſol. ℥ß. M.

Cum æger inde ſexies blande et copioſe purgatus fuiſſet, ſubjunxi MRam ex Væ Menth. ℥ij, Millefol. Chamomill. aa ℥jß, Cinnamom. ſ. vin. ℥ß, pulv. antiſpaſmod. ℈jv, Cort. Caſcarill. Rhabarb. Or. Conch. ppt aa ℈ij, ſal. Abſinth. ʒß, Liq. min. anod. HOFFM. eſſ. carmin WED. aa ʒj, ſucc Citr. rec. ℥iij, cort. ☉ ℥ß. Sub paſtu inſuper aſſumpſit gtt. 60 elix. balſam. in hauſtu apozematis diætetici ex hord. paſſul. min. ſucco citr. et rub. id. Sic flatus quidem absque multo conamine ſuccedebant; verum alvus ſemper ſicca, ut plurimum per biduum ſuppreſſa, haud ſine teneſmo et dolore lumbari ejectis ſcybalis induratis, permanſit. Quare molimina

hæmorrhoidalia ſubeſſe ratus, clyſma domeſticum injicere juſſi, cui ſucceſſerunt hæmorrhoides torminoſæ, decoloratæ, ſpumoſæ, quibus cum per aliquot dies indulſiſſem, oppoſui apozema ex rad. chin. ſarſap. cichor. polypod. querc. aa ℥ß, raſ lign. ſaſſafr. Guajac. ℥j, aniſ. ſtellat. ſal. 🜿ri aa ʒij, quarum ſpecierum ℥ß cum menſura ▽æ fuit decocta, addito poſt colaturam ob ardorem ventriculi et ſuſpectam febriculam lentam erraticam ſequente julapio:

℞. Mucilag. Tragac. c. ▽a ſimpl. fact. ℥ß
Syr. acetoſit. Citr.
— Rub. id.
— Berber.
— Papav. rh.
— de Cinnam. aa ℥j
Nitr. purif. ʒij. M.

Sic omnia ſucceſſive evanuerunt ſymptomata, ſuperſtite tantum moleſta alvi ſegnitie et ventriculi debilitate; cui tamen etiam medelam attulit electuarium ex

Pulp. tamarind. extr. ℥ß
Conſerv. Cochlear. ʒvj
♉ rad. Jalapp.
— fol. ſenn. ſ. ſt. aa ʒjß
— lign. Saſſafr.

— flaved. cort. ⊙ aa ℥j
— Caryophyll. arom. ℈j
Ω Nitr. dulc. ℥j
Syr. Rub. id. q. ſ.

Hac methodo iterum æger convaluit, et celebrata poſtea conſueta V^æ S^e autumnali in pede jam per 7 menſes ſanus et vegetus officio ſuo fungitur.

HISTORIA VIII.

C. J. TREWII (a).

Continens cardialgiæ caſum oppido rarum et variis complicatum ſymptomatis, ubi poſt varia in caſſum exhibita demum oleo Cajeput dolor ceſſit.

Juvenis 22 annorum, haud adeo robuſtus, ex fructuum horæorum et crudorum quidem, quibus nimium quantum capiebatur, abuſu anno cum primis præterito pondus quoddam pergrave ac frigidum paulo poſt, idque ſemper in ventriculi regione,

(a) Commerc. Nor. T. 4. A. 1734. hebd. 5. p. 34. ſqq.

ſentiebat (*a*). Quod mali hujus auxilium in ſpiritus frumenti hauſtibus, non largis quidem, ſed frequentioribus tamen, quærebat, id ipſum tantum abfuit, ut levaſſet malum, ut idem potius exacerbaret. Tantæ nimirum die 6 Decembr. anxietates, fixique circa præcordia dolores, illum corripuerunt, ut ſub ejusdem adhuc diei veſperam me de ferenda ope rogatum voluerit. Præſcripſi ſequentem MR^{am}:

℞. Eſſent. carminat. WEDEL. ℥j
—— caſtorei
Ω carminat. de tribus aa ℥β, ad 36 vel 40 gtt. 6ª quaque hora ſumendam, Mane ſequentis diei... nihil quicquam levaminis ex hoc remedio vidi, ſed ægrum potius de intolerabili circa cardiam ardore queribundum: pulſum fortem durumque, neque tamen juſto freqventiorem; urinam citrinam, ſanæ perſimilem: diaphoreſin ſuppreſſam, reperi. Suſpicatus tunc inflammationem cardiæ, pro illa reprimenda oleum WEDELII bezoardicum ad gtt. xv. 6ª qvaque hora cum juſculo calido propinandum dedi. Lintea porro complicata Ωu vini camphorato calefactoque imbuta cardiæ

(*a*) Confer. §. 18. n. 3.

applicari, & nitrum depuratum cereviſiæ addi jubebam. Pro diaphoreſi autem juvanda MR^a^ quædam nervino-diapnoica commendabatur. Tertio die omnia in eodem ſtatu cernebantur. Ad venæ tunc ſectionem confugiens ſangvinis 8 uncias ex pede detraxi; qvumque nec alvus adhuc ſolveretur, ejus laxandæ cauſa, revellendiqüe ſcopo, clyſterem ſub veſperam adhibendum præſcripſi; reliqva medicamenta eodem ſe modo habebant. Hinc alvus qvidem ducebatur; ſed nulla mitigatio mali; 4^o^que die tanta dolorum atrocitas fuit, ut qvædam ſenſuum perturbatio accederet, futurumque timeretur, ne vel convulſiones ſuccederent. Subit tunc memoriam obſervatio Cel. D. D. HEISTERI (*a*), qva femina qvondam ex lumbricis teretibus cardiæ gregatim adhærentibus miſere periiſſe videbatur. Qvapropter qvum nullum invenirem aliqvod contraindicans, ut pulveris ſeminis cynæ juſtam caperet portionem, uſumque clyſteris veſperi repeteret, ſvaſi. Ac quoniam æger calida qvoque juſcula ferre vel optime potuit, infuſum ex herb. roſmarini, ſcordii, fl. chamæmeli, ſambuci, ſem dauci, fœniculi, rad.

(*a*) Confer. §. 9. n. 4.

angelicæ, enulæ, liqviritæ, althææ, cum aqua fontana parum decoqvendum, qvotieſque lubuit, calide hauriendum, poſt illiuſque uſum ▽æ hirundinum comp. cum æqv. portione ▽æ epilepticæ LANGII mixtæ cochlear j alterumve ſuperaddebam. Clyſter (qvod mirum) notabilem educebat lumbricorum latorum copiam; ſed hi minus exſpectabantur: ſymptomatum vero nulla remiſſio facta. Omnibus ergo hisce in caſſum adhibitis, ægroque per dolores diu noctuque ſatis excruciato; die tandem 5o omne præſidium in oleo Cajeput, cujus egregia virtus in affectibus ſpaſmodicis ante jam ſæpius mihi explorata fuit, qværebam. Tres igitur hujus olei guttas cum pauxillo ſacchari aſſumi, et aliqvot juſculi calidi hauſtus ſuperbibi jubeo: qvibus aſſumptis miraculi inſtar poſt aliqvot minutorum ſpatium dolor remittebat (*a*). Eadem doſis ſub veſperam, ſepoſitis reliqvis. . . medicamentis, repetita noctem ſatis tranqvillam effecit. Sexto die omnis fere dolor exulabat. Ejusdem itaque olei 3 vel 4 guttas matutinis, meridianis, veſpertinisque horis eodem modo aſſumendas, et præter juſcula crebra uſum qvoque de-

(*a*) Confer. §. 62.

coĉti ſupra deſcripti interponendum ſvadeo. Deinde etiam, qvum pulſus adhuc durus continuaret, emulſionem ex amygdalarum dulcium exorticatarum ℥j et ſeminis papaveris albi ℥ß cum ▽æ fontanæ ℔j, et ▽æ cinnamomi c. v. ℥j paratam præſcripſi. Eidem methodo per ſeptimum qvoque diem inſiſtebam. Die 8° præter vires non dum recuperatas nihil incommodorum ſentiebat; pulſus tamen adhuc durus poſtulare videbatur, ut ſimul cum uſu olei Cajeput diĉtum in modum continuato hoc ipſi deĉtoĉtum ſedulo bibendum ſvaderem.

℞. Rad. ſcorzon. montan.
— malvæ
Raſ. C. C.
Viſci qverc. aa ℥j
Sem. fœnic.
Nitri depur. aa ʒij. coqv. cum
▽æ fontan. ℔ viij ad conſumpt partis $\frac{1}{2}$.

Sed pulſus idem permanebat, licet ad 11um uſque diem his uteretur. Eundem igitur in finem pulverem qvemdam antiſpaſmodicum ex lapidum 69 ℈jv, ♁ii diaph. ℈ij, nitri depur. ʒj, et cinnab. ♁ii reĉtificati ʒß paratum, ad tres cultri cuſpides 5a 6ave qvaque hora, ceteris poſthabitis, ſumendum commendavi. Sed æger vix una

vel altera doſi aſſumpta dolores recrudeſcentes expertus ipſemet uſum olei Cajeput repetiit, eodemque per unum alterumque diem continuato integram valetudinem conſecutus eſt.

HISTORIA IX.

EJUSDEM (a).

De cardialgia oleo Cajeput primum fugata, non item eodem fuganda, ubi alterum rediit.

Mulier 66 annorum, pleni adhuc habitus, ex diætæ errore. . . afficiebatur cardialgia ſpaſmodica, qvam tamen olei Cajeput aliqvot doſes mox compeſcebant. Eadem mulier menſe. . . Auguſto, et qvidem die ejus 1°, frigore nocturno incautius admiſſo corripitur iterum ſæviſſimis ventriculi ſpaſmis cum vomitu continuo; a qvo tamen nil præter mucum inſipidum excernebatur. Et hæc proprio conſilio levamen ex oleo Cajeput antea probato qværit; ſed fruſtra. Altero

(a) l. c. T. 9. A. 1739. hebd. 39. p. 306. ſq.

dic. . . ordinavi et huic primum oleum camphoratum ſupra *(a)* indicatum, et fotum ex theriacæ vet. ℥ij. olei nucis moſch. expreſſi ℈ij, ſpiritus carvi et menthæ aa ʒß, calide ventriculo applicandum. Certior ſimul factus, alvum jam a 3 diebus non reſpondere, clyſma commendavi; ſed patiens non auſcultabat: qvare ſuppoſitoria ſubſtitui juſſi. Tertio die de omnibus adhuc conqverebatur malis: hinc denuo cum oleo Cajeput periculum feci. Qvarto die ſtatu priſtino adhuc continuante ſeqventem præſcripſi emulſionem:

℞. Nucl. pini rec. ʒß
▽æ fl. ſambuci
meliſſæ abſque vino aa ℥ij F. emulſio, addantur
Camphoræ gr. xvj
♁ii diaphoret.
Matr. perl. ppt. aa ℈ij
Jul. Viol. ʒß.

Hujus duo cochlearia capiebat tepide ſingulis bihoriis. Quinto die qvum nulla adhuc reconvaleſcentiæ ſpes affulgeret, et alvus adhuc clauſa eſſet, multo ſerius adhuc urge-

(a) Vide §. 29. n. 1.

bam clyſma, qvod denique ita præparatum applicabatur:

℞. Herbæ menthæ
— — meliſſæ
Flor. chamæm. Rom.
— millefolii aa p. ij
Sem fœniculi
— aniſi
Baccar. lauri
— — juniperi
Rad. angelicæ
— leviſtici
— carlinæ
— petaſitidis aa ʒj
— althææ ʒij; conc. cont. coqv. in
ſ. q. aqvæ font. colat. rec. ℥viij addantur
Elect. de hiera cum agar.
Mell. mercurial. aa ʒvj
Olei rutæ
— anethi aa ℥ß
— ſcorpion.
— hyoſciam. expr. aa ʒij
Camphoræ in oleis ſolutæ ℈j
Salis communis ʒiij

Ceterum emulſionis uſus hoc die adhuc continuabatur: clyſma parum evacuabat, parum hinc qvoque levaminis præſtabat. Qvum ad

6um jam diem omnia ſymptomata miſeram diu noctuque excruciaverint, præſcripſi nimirum ſeqventia:

℞. pulv. epilept. March. ℈j

M. P. de cynogloſſa gr. j. D. in qvadruplo.

℞. ▽æ carminat. DORNCR.

— hyſtericæ Aug.

— fœniculi

— cort. ☉ abſque vino aa ℥j.

Singulis 4 vel 5 horis capiebatur una pulverum doſis, et ſæpius unum vel alterum cochlear aqvæ. Altera pulveris doſi aſſumpta potentiſſimi jam expellebantur ructus et flatus magno levamine; poſt qvartam doſin ſolvebatur alvus, et porro qvotidie reſpondebat, ſubſequuta plena ſanitatis reſtitutione.

HISTORIA X.

P. R. VICAT (a).

De cardialgia cum tabe et hyſtericis malis, a reſolutæ ſtrumæ metaſtaſi orta, cito facileque curata.

Matrona nobilis 54 annos nata, habitus bilioſi et macilenti, ante aliqvot annos ob ſtrumam collo inſidentem ſumpſerat ſpongiam uſtam, ut eo incommodo liberaretur; ſed cum pro deſiderio nimis impatiente non ſatis prompte operaretur pulv. ſtrumalis, ut eam operationem, qvantum poſſet, acceleraret, doſes duplicavit triplicavit que præterea freqventius ſumpſit. Sic qvidem ſtruma brevi temporis ſpatio conſumebatur, ſed et ſimul fuſa totius corporis pingvedine in atrophiam incidebat tuſſi ſicca, ſymptomatibus hyſtericis, et artuum tremoribus convulſivis, atque cardialgia (b) ſtipatam. Medicus præſcripta diæta nutriente, pectoralibusque, et

(a) Delectus obſerv. pract. ex diar, clinic. Obſ. 31. p. 122.

(b) Confer, §. 24. n. 3.

ſtomachicis, ægram in tolerabilem ſtatum reduxit qvidem; ſed redibant interdum ſymptomata hyſterica, tremores, et cardialgia, potiſſimum qvoties inclementi aeri ſe exponebat, . . . Sed omnium maxime, qvando aliqvo pathemate afficiebatur. Antiſpaſmodica varia à medico præſcripta malum præſens mitigabant; ſed idem poſtea prima occaſione data ne hilo mitius redibat; qvin ſenſim tractu temporis inſolentius fiebat, et prorſus intolerabile. Huic igitur ut limites poneret matrona, . . . me conſuluit. Purgationem ſvadeo ope potionis mannatæ (*a*); qvæ qvidem parum purgavit, ſed fere penitus diſſipavit dolorem in ſcrobiculo cordis ſedentem (*b*), qvi ab integro menſe ægram fere continuo divexabat, etſi pluries juxta ſuum morem ſe purgaſſet ope elixirii cujusdam aloëtici. . . Veſpera ejusdem diei cœpit. . . ſumere hunc pulverem:

℞. ♁ Rhei tartariſati (*)
— ſtomach. BIRKM. aa ℥ß M.

divid. in xvj doſes æqvales, bis vel ter de die horis ante paſtum ſumendas ex infuſo

(*a*) Jn Obſ. 23. Auctoris p. 86. deſcriptæ.
(*b*) Confer. §. 37. n. 5.
(*) Confectio in Auctore videatur.

fl. chamomillæ Romanæ frigido. Simul frequentem uſum commendavi enematum ex furfuribus cum aqva coctis, additis floribus chamomillæ, baccis juniperi, et ſale veſco. Continuato eorum remediorum uſu intra 3 ſeptimanas ita fracta erat morbi vis, ut omnino tolerabiliter ſe haberet ægra, atque animi turbis multo minus, qvam antea, ſubjecta eſſet. Qvare iis induciis contenta ab ulteriori medela voluit abſtinere, adhibito tamen ſæpe corporis motu, qvem enixe commendaveram, et cujus beneficio hucusque ſatis bene valere pergit (*a*).

(*a*) Conf. §. 87.

APPENDIX.

ANTONII DE HAEN (a).

Medendi methodus cardialgiis inveteratis contumacibus, ab H. BOERHAAVIO *accepta.*

„ Qvos mihi hoc morbo laborantes vi-
„ dere contigit, annoſum admodum malum
„ paſſim hi teſtabantur, et ad oblata auxi-
„ lia rebelle. Unde ſcirrhi aliusve generis
„ tumoris, ſive ventriculi pylorique, ſive
„ partium vicinarum, ventriculum aut pylo-
„ rum comprimentis, vehemens ſæpe ſuſpicio
„ mihi nata eſt. Incertus tamen atque ani-
„ mo fluctuans dum ſequentia adhibebam,
„ dicere vix poſſum, quam multis integram
„ attulerim ſanitatem, adeoque omnem apud
„ illos ſcirrhorum ſuſpicionem mente excuſ-
„ ſerim. Præfari autem oportet, incompa-
„ rabili BOERHAAVIO me hanc methodum
„ debere.

(a) Rat. med. P. 6. C. 1. §. 2.

„ Primo ad externam ventriculi regionem
„ ſeqvens admovi emplaſtrum:

℞. Empl. de labd. vel diabot. ℥jß
Camphoræ
Opii crudi aa ℈ß. gr. xv. ℈j.
Balſ. Peruv. q. ſ. M.

„ Diu gerendum hoc emplaſtrum fuit, dum-
„ que laberetur, reficiendum; et ſi qvis ar-
„ dor vel efflorefcentia in nonnullis ejusdem
„ ablationem nonnunqvam poſceret, appli-
„ cationis continuationem cutis denuo in
„ pleriſque admiſit, ſi ſæpius ſapone cum lacte
„ lota fotaque fuerat.

„ Deinde aſſumpſere qvovis bihorio aut
„ trihorio cochlearia duo MR^æ hujus:

℞. Lap. 69 ℥ß
Ol. ſtill. menthæ, cum
Sacchari ℨiij in elæoſ. redacti, gtt. x.
♌ menthæ ℥j
L. L. SYDENH. ℨß
Syr. menthæ ℥j
▽^æ menthæ ℥viij.

„ Eſt id genus hominibus tarda paſſim et
„ ſicca alvus, qvemadmodum alias ſæpius
„ adverti: ita hic qvoque plures fuere, qvi-
„ bus opium et carminantia hujus MR^æ al-
„ vum maxime naturalem redderent, vel

„ operationem levioris ſubinde dati purgan-
„ tis egregiam perficerent.

„ Haud defuere tamen nonnulli, qvi-
„ bus vis acidi potentior datis cum MRª pi-
„ lulis ex ſap. Veneto copioſo cum pauco
„ ſtimulo gumm. ammon. et MP. RUFFI
„ infringi debuerit.

„ Dabantur quoqve, qvibus ventriculi
„ non ita acor, ſed potius frequens ſpaſmus
„ et debilitas dolorem concomitari viderentur:
„ tur: his ſumme conditum hoc profuit:

℞. Cort. Peruv. ℥iij
Camphor.
Myrrh. aa ʒjβ
Syr. diacod. et
— menth. aa ℥iijβ. M. ut ſexies
„ de die magnitudinis nucis moſchatæ fru-
„ ſtulum ſumerent.

„ Aderant, qvibus opii majorem longe
„ doſim, ad noctem præcipue, dari oportu-
„ erit.

„ Multi ſane homines a cardialgia peni-
„ tus convaluerunt, modo durante cura exac-
„ te abſtinerent ab iis, qvæ difficulter dige-
„ runtur, et a lacte, caſeo, aceto, vinis aci-
„ dis, diætamqve alcaleſcentem obſervarent.

„ Hæc inqvam dando, his proficiendo,

„ tandem didici, inveteratos ejusmodi car-
„ dialgicos, eo qvod medicamenta ſine curæ
„ ſtabilitate per annos abligurierint, incura-
„ biles fere, ſcirrhoqve ventriculi aut par-
„ tium pone illum ſitarum laborantes haberi;
„ curam tamen et integram et perſeverantem
„ has ſcirrhi ſuſpiciones plane abigere. Con-
„ cludere hinc debui, plures dari, quibus
„ immodicus ventriculi acor fere indomabi-
„ lis adeſſet, qvibus debilitas ventriculi fo-
„ ret inſuperabilis, qvosque a flatibus, a ſpaſ-
„ mis, a convulſionibus primarum viarum li-
„ berare ferme impoſſibile videretur; licet
„ nunc antacida, nunc paregorica, alio tem-
„ pore purgantia, alio iterum roborantia,
„ et carminantia dicta, ipſis ſæpius exhibe-
„ rentur: eo qvod optima hæc remedia nec
„ ſufficiente copia, nec tempore haud in-
„ terrupto, nec multa horum ſociata, nec
„ longo poſt ſymptomatum ſilentium tempo-
„ re, ſumerentur. „

AUCTORUM
SYLLABUS.

A.

Acta Berolin. 321.
Acta Hafnienſ. 113. 128. 238.
Acta nov. Havnienſ. 44.
Acta Helvet. 38.
Act. nat. cur. 32. 54. 86. 120. 126. 130. 138. 153. ſq. 197. 317. 330. 365.
Acta nov. nat. cur. 120. 243. 289. 300. 350.
Adolphi 317.
Agricola 349.
Alberti 6. 53. ſq. 74. 143.
Albrecht 138.
Amatus 61. 163. ſq. 167. 203. 271. 330. 353.
Anecdoten medic. 34. 224.
Annales Vratisl. 60. 176. 254.
Arnoult 331.

B.

Baader 45. 63.
Backmeiſter 355.
Baine 297.
Baker 90.
Baldinger 232. ſq.
Ballonius 37. 54. 212.
Barbette 325.
Bartholinus 99. 128. 240.
Bauhinus 46.
Baumbach 253.
Bayle 52.
Behr 17.
Behrens 70.
Bemerk. von London (v. Baine & Pye)
Benivenius 145. 167.
Berger 44.
Bierlingius 123.
Bilger 84.
Binninger 61. 191. 199.
Blancardus 292.
Blaſius 47.
Bloch 255.
Bœtticher 5. 89.
Bonetus 36. 46. ſq. 56. 75. 81. 191.
Borellus 168.
Borrichius 113.
Brambilla 56.
Breyn 249.
Bruch 53.
Brückmann 152. 347.
Brun 223.
Buchhave 304. ſq.
Büchner 60. 143. 210. 237. 239.
Buiſſiere 52.

C.

Camerarius 102. 149. 355.
Cardanus 85.
Cheſneau 95. 203. 212. 214. 294.
Chudenius 321.
Clerk 139.
Cohauſen 120.
Coiterus 78.
Comment. von Edinb. 348.
Commerc. lit. Nor. 103. 114. 152. 175. 284. ſq. 342. 347. 375. 380.
Crato. 308.

D.

Delius 120.
Deodatus 258.
Dethardinus 110.
Diemerbrœck 258.
Dioſcorides 222.
Dobrzensky 127.
Dodonæus 191.
Doelz 52.
Dollfus 285.
Donauer 237.
Douinet 316.
Duncan 279.

E.

Ebenus 307.
Engel 75. 143.
Ettmüller 3. 68. 244. 254. 315. 333.

F.

Faber 160. 163.
Fiſcher 254.
Foeſius 2. 4.
Foreſtus 42. 92. 162. 186. ſq. 189. 271. 327. 343.

G.

Gabucinus 134.
Galenus 4. 42.
Garner
Gaſſerus 78.
Gemma 136.
Gentilis 127.
Gherli 125. 247. 309. ſqq.
Giller 38.
Glaſer 58.
Gockelius 69. 161.
Gœritz 60. 143. 210.
Gœtzius 330.
Groner 175.
Gaurinonius 20.

H.

Haen 387.
Hagendorn 53. 127. 160. 178.
Hahn 329.
Hannemannus 238.
Harris 266.
Harſu 334.
Hartmann 39. 271.
Heide 190. 258.
Heiſter 29. 57. 216. 359. ſqq.
Hell 333.

Hellwig 193.
Hemmann 226.
Hertod 13.
Heſſus 85.
Hildanus 132. 159. 363.
Hippocrates 83. 110. 163. 318. 342.
Hiſt. morbor. Vratisl. 270.
Hœferus 84.
Hoffmannus 43. 71. 88 95. 154. 162. 182. 225. 270. 318. 320. 331. 335.
Hojer 5.
Holdefreind 149.
Hollerius 96.
Horſtius 84. 335.
Hoyer 32. 235.
Hykel 188.

I.

Jacobi 33.
Joerdens 108. 284.
Juncker 237.

K.

Kanold. 89.
Klaunig 290.
Klein 119. 338.
Knigge 271. ſq. 275. ſqq.
Kœlichenius 238.
Krügerus 39.

L.

Lahr 90.
Lanzonus 86. 318.
Ledelius 91. 129. 192.
Lentilius 7. 16. 50. 57. 92. ſq. 97. ſq. 241. ſq. 267.
Leske 133. 136. 249.
Linckius 130.
Lorry 73. 79. 184.
Loſſius 239.
Lotichius 245.
Ludolff 89.

M.

Magaz. Hamburg. 52.
Marcard 267.
Mareſcotti 268.
de Marinis 129.
Marteau 245.
Martius 209.
Marx 295. ſq.
Medicus 99.
Meibomius 70. 103.
Meier 232.
Mercatus 332.
Mermannus 75. 352.
de la Mettrie 161. 261.
Michaelis 180.
Michelottus 154. 257.
M. N. C. 33. 36. 85. 91. 93. 110. 116. 127. 129. 169. 192. 213. 215. 235. 238. 290. 318. 350.
Musgrave 136.

N.

Nachrichten von Magnet-Curen 333. ſq.

O.

Ovelgün 350.

P.

Panarolus 166.
Paullinus. 35. 51. 53.
Percival 347. ſq.
Pezoldus 159.
Platerus 13. 68. 72. 78. 87. 121. 124. 130. 174.
Plinius 4.
Pohl 65.
Pomme 225. 233. ſq.
Poterius 43. 72. 98. 199. 202. 266. 269. 308. 332.
Pozzis 56.
Pringle 281.
Pye 164. 179. 182.

Q.

Quarin 269.

R.

Ranzovius 244.
Rau 365.
Rayger 101. 116.
Rehfeld 87.
Reuſnerus 332.
Reydt 297.
Rhodius 58. 139. 212. 222.
Rhudius 308.
Richter 206.
Riedlinus 50. 55. 67. 70. 89. 111. 122. 141. 148. 158. ſqq. 164. 179. 181. 184. 188. ſqq. 195. 198. 211. 218. 239. 243 247. 269. 291. ſq. 297. 313. 344.
Rigler 320.
Riolanus 36. 42.
Ritter 289.
Riverius 36. 256. 264. 317. 324. 335.
Rivinus 100.
Rommelius 350.
Roux. 117. 223.
Ruccerus 6. 235.
Rueff 300.
Rumbaum 135.

S.

Samml. für pract. Aerzte 343.
Sauvages. 3. 4. 5. 6. 234.
Saxonia 81.
Scati 56.
Schacher 206.
Scheidemantel 298.
Schenckius 85. ſq. 102. 135. 149.
Schenfelder 134. 264.
Scherff 59.
Schmucker 62. 226.
Scholtzius 56.
Schultz 85. 213.
Schurigius 147.
Schuſter 153.
Scultetus 247.
Select. med. Francof. 188.
Sims 338.
Smetius 18.
Solenander 93. 290.
Sommerus 91.
Spindler 101. 257.
Sponius 36.
Springsfeld 205.
Stahlius 33. 87.
Stegmannus 215.
Stoll 224.

Storch 49. 61. 141. 188. 290.
Swieten 77.

T.

Teichmeyer 59.
Thibault 51.
Thompſon 343.
Thonerus 238. 289. 317.
Tillingius 204.
Tiſſotus 32. 36. 235. ſqq. 344. ſq.
Torti 99.
Transact. medical. 90.
Trewius 114. 375. 380.
Trnka 29.

V.

Vandermonde 245.
Velſchius 6. 78. 209. 235. 332.
Verſuche von Edinb. 139. 281.
Verzaſcha 313.
Vetillart 117. 146.
Vicat 88. 147. 194. 251. 271. 384.
Viridet 36.
Voelker 61.
Vogel 239. 245. 253.

W.

Wall 133.
Weber 32.
Wedelius 5. 52. 350.
Weikard 75. 287. 298. 308.
Weitbrecht 285.
Wepferus 33.
Werlhof 342.
Whytt 248. 253. 262. 316. 323. 333.
Wilrich 102. ſq.
Wisbader Krankengeſch. 19. 211.
Wolffius 126. 176. 197.

Z.

Zacutus 48. 192. 217. 248. 290. 295.
Zanetti 243.
Zeller 6.
Zuingerus 169.

INDEX RERUM.

A.

Abdominis morbi ex cardialgia 20.
Abſceſſus natus ſoluit cardialgiam 145.
Abſorbentia terrea cardialgiam creant 53. ſq. curant alias eandem & ſodam 244. provide tamen danda 248.
Acida cardialgiam cauſant 33. 75. eandem tamen bilioſam curant 342.
Acidulæ hic utiles 202. ſqq.
Accretio ventriculi ad vicina cardialgiæ cauſa 46.
Acria aſſumpta cardialgiam efficiunt 61.
Acuta cardialgia 8.
Adſtringentia contra cardialgiam utilia 294.
Affectus animi cardialgiæ cauſa 87. ſodam tamen fugant 344.
Alimenta tenacia cardialgiam facile excitant 49. alimentorum ratio in curatione ejus 341. ſqq.
Allio ſublata cardialgia 292.
Alvum adſtrictam ſpaſmo ſolvit opium 263. ſq.
Amauroſis à cardialgia 31.
Amplitudo p. n. ventriculi cauſa cardialgiæ 38.
Amygdalatis curata cardialgia 237.
Angina ſpaſmodica à cardialgia 23. 117.
Anguſtia p. n. ventriculi cardialgiæ cauſa 38.
Aniſi oleum ventriculo illitum proficuum 332.
Anorexia cum cardialgia 20.
Anthelminticis cardialgia verminoſa cedens 214.
Antiemetico Riverii curata cardialgia 266.
Antiſcorbutica quando hic danda? 291.

Anxietas à cardialgia 25.
Aphonia cum cardialgia 28.
Apoplexia à cardialgia 31.
Applicata externa cauſantia cardialgiam 91.
Aqua Colonienſi cardialgia excitata 32 ferrata pota ſublata cardialgia 298. imo ſola pura 224.
Aromata ingeſta cardialgiam invexere 67.
Arthritici dolores à cardialgia 30. eadem ex iis repreſſis 95.
Artuum morbi à cardialgia 29.
Aſa fœtida cardialgiam ſuſtulit 279.
Aſelli ab eſu cardialgia 158.
Aſſaturæ ab eſu eadem 49.
Atra bilis cardialgiæ cauſa 79.
Avenæ ab eſu eadem 51. ſq.
Aurantiorum corticum uſu curata cardialgia 289.

B.

Balbuties cum cardialgia 28.
Balneorum in cardialgia utilitas 235.
Bilis cardialgias movet 75. ſqq. Sanat uſurpata ſodam 255.

C.

Cajeput olei in cardialgia virtus 284. 375. 380.
Calami aromatici uſu ſublata cardialgia 290.
Calculi ventriculi cardialgiæ cauſa 84. fellei & renales item 91.
Calculoſis ominoſa ſoda 111.
Cancrorum lapides curant & cardialgiam & ſodam 244.
Capitis morbi à cardialgia 27.
Cardiaca paſſio quid? 5.
Cardialgia quid? 1. 3. ejus etymon 1. 2. genera 3. ſqq. ſymptomata 9. ſqq. cauſæ 32. diagnoſis 102. prognoſis 106. cura 155.
Cardiogmus 4.
Carlina ſecum geſtata ſodam arcet [illegible]50.
Carpionum oſſicula ſub lingua detenta cur tollant ſodam? 347.
Cartilago xyphoides intropreſſa cardialgiæ cauſa 37.
Carus à cardialgia 121.
Caſei ab eſu cardialgia 160.
Cataplaſmata in eadem 330.

Cathartica cardialgiam creant 70. curant 184. eorum indicantia 186. iteratio 198.
Centaurio minori curata cardialgia 290.
Cephalalgia ab eadem 28.
Cibi varii cardialgiam facientes 49. corum in cura ratio 341. ſqq.
Cicutæ uſus in cardialgia 269.
Chamæmelum in cardialgia efficax 270.
Choledochus (vide ductus).
Clysmata (v. enemata).
Cœpæ ſuccus miræ energiæ in calculis 292.
Colica cum cardialgia 24.
Colluvies pravorum humorum cardialgiæ cauſa 74.
Colonienſis aqua(v.aqua)
Compoſita pharmaca ad cardialgiam 307. ſqq.
Conſenſus nervorum cardialgiam creans 90.
Convulſiones à cardialgia 28.
Corrugatio ventriculi ab eadem 119.
Cortex Peruv. cardialgiam ſæpe tollit 300.
Criſes in cardialgia 122.
Cucurbitula ſicca utilis in cardialgia 324.
Cutanei morbi enati ſolvunt cardialgiam 146.

D.

Debilitas à cardialgia 29.
Delirium cum eadem 28.
Demulcentia cardialgicis profuere 223.
Diagnoſis cardialgiæ 102.
Diſtentio p. n. ventriculi à cardialgia 119.
Diuturnæ cardialgiæ 106.
Dolor ventriculi 2.9. capitis 28. artuum 30.
Ductus choledochus ventriculo inſertus cardialgiæ cauſa 48.
Duratio morbi 20.
Dyſpepta cardialgiam generant 49.
Dyſpnœa à cardialgia 25

E.

Ebur raſum curat cardialgias 247.
Edulia (v. cibi).
Effectus cardialgiæ 112.
Emetica creant cardialgiam 71. curant 158. eorum indicantia 159. cautelæ 173. contraindicantia 177.
Emplaſtra ad cardialgiam 332.
Encauſis quid? 7.
Enematum in cardialgia utilitas 321.
Enteritis cardialgiam ſolvit 148.

Evigilatio cum pavore à cardialgia 31.

F.

Febris varia cardialgiæ cauſa 96. eive comes 27. vel ſub ejus larva latens 99. ſuperveniens cardialgiam ſolvit 154.
Flatulenta ingeſta cardialgiæ cauſa 60.
Flatus à cardialgia 22.
Fotus ad cardialgiam varii 327.
Frigido potu excitata cardialgia 57.
Frigus extremorum in cardialgia 30.
Frumenti ſpiritus cardialgiæ cauſa 62.
Furunculi oborti eam ſolventes 146.

G.

Gaſtritis á cardialgia 121
Gaſtrodynia quid? 5.
Genera cardialgiæ 3.
Geo urbano cardialgia percurata 304.
Glandium decocto cardialgia ſublata 295.
Gonorrhæa benigna eandem ſolvit 139.
Graviditas ejus cauſa 90.

H.

Hæmorrhagiæ à cardialgia 31. ſolvunt eandem 141.
Hæmorrhoides fluere non valentes eam cauſant 94. fluentes ſolvunt 141.
Hæreditaria diſpoſitio ad cardialgiam 32.
Haleces ſodæ cauſa 188.
Herpes cardialgiam abolevit natus 146.
Humores pravi (v. colluvies)
Hydatides ventriculi cardialgiæ cauſa 136.
Hydrogalæ potui cedens cardialgia 235.
Hypochondria affecta in cardialgia 21.
Hypochondriaci ſodæ & cardialgiæ obnoxii 33
Hyſtericæ perinde 33.

I.

Icterus cardialgiæ ſymptoma 112. ſoluit eandem 149.
Idea una diuturna profligat ſodam 349.
Idioſyncraſia cardialgiæ cauſa 32.

Indicationes in cardialgia curanda 155.
Inflammatio (v. gaſtritis)
Inflatio dolentis ſtomachi 22.
Ingeſta (v. cibi, alimenta).
Inſecta in ſtomacho ejus dolorem creant 81.
Intermittens cardialgia 8. febris (v. hanc).
Ira cardialgiam affert 87.
Ius pulli potum cardialgiæ medetur 233.

L.

Lacertæ in ſtomacho dolorem ejus cauſant. 131.
Lacticinia cardialgiæ podagricæ optime proſunt 342.
Lardi ab eſu cardialgia 159.
Larvata febris (v. hanc).
Litus ad cardialgiam 331.
Lochia parca cardialgiam cauſant 94. probe fluentia abolent 141.

M.

Macies (v. tabes).
Magnes ad epigaſtrium appenſus tollit cardialgiam 333.
Martialium in cardialgia efficacitas 251. 297.
Menſes ſuppreſſi cardialgiæ cauſa 93.
Mentha piperitis eam currat 271.
Metalla deglutita cardialgiam generantia 56.
Metaſtaſes variæ cardialgiam cauſant 93. 97. ſolvunt 144.
Meteoriſmus cum cardialgia 29.
Mœror cardialgiæ cauſa 88.
Morbi alii ex cardialgia 20.
Moſcho cardialgia victa 281.
Motus corporis quando utilis? 352.
Mucilagines cardialgiam tollunt 240.
Mucus (v. pituita).
Muræнarum ab eſu cardialgia 160.

N.

Naſturtii aquatici eſu devicta cardialgia 291.
Nauſeæ à cardialgia 23.
Nervina in eadem utilia 266.
Nocturna cardialgia 18.
Nuclei deglutiti ejus cauſa 55.

O.

Oedema pedum à cardialgia 20.
Omphacio curatæ cardialgia ac ſoda 294.

Opium multis medetur cardialgiis 117. 256. ſqq. 323.
Oſſa deglutita poſt ſe cardialgiam trahentia 55.
Oſtreorum ab eſu eadem 159. ſq.
Oxygermia 7.

P.

Paroxiſmi intermittentium febrium cum cardialgia 98.
Paſſio hypochondriaca, hyſterica obnoxios cardialgiis efficit 33.
Pathemata (v. affectus).
Pediluvia (v. balnea).
Periodicæ cardialgiæ 19. 99.
Perniciofæ eædem quæ? 110.
Phænomena cardialgiæ 9.
Pinguia ejus & ſodæ cauſa 52.
Pituita in ſtomacho cardialgiam creat 74 75. 322.
Plumbi maſticatio ſodam qui abigat? 348.
Podagræ retropulſæ ſuccedens cardialgia 95.
Potus frigidi vel ſpirituoſi cardialgiæ cauſa 57. 61.
Procatarcticæ cauſæ 49. ſqq.
Prœgumenæ cauſæ 32. ſqq.
Pruritus cutis à cardialgia 31.
Pſora cardialgiam ſoluit 146.
Pulli jure eadem curata 235.
Purgantia (v. cathartica).
Pyroſis quid? 6.

R.

Raphano cardialgia curata 292.
Raucedo ab eadem 25.
Rheumatica cardialgia 95
Roſio ſtomachi 4.
Rubefacientium utilitas in cardialgiæ cura 338.
Ructus in cardialgia 22.

S.

Sacci p. n. à cardialgia 119.
Sacculi in dolore 331.
Salina cardialgiæ cauſa 67.
Saliva deglutita ſodam fugat 347.
Sanguinis miſſio in cardialgia & ſoda quando facienda? 315.
Saſſafras ligni decocto cardialgia pulſa 269.
Scabies repreſſa eam cauſans 95. 117. vide pſora.
Scarabæus deglutitus cardialgiam creans 130.

Semicupia (v. balnea).
Siliquæ dulcis eſus arcens ſodam 243.
Singultus à cardialgia 22.
Situs ſtomachi p. n. cardialgiæ cauſa 44.
Soda quid? 6. calculoſis ominoſa 111.
Solutio cardialgiæ varia 122.
Somni turbulenti à cardialgia 31.
Spirituoſa (v. potus).
Spiritus frumenti (v. frumenti.
Struma reſoluta cardialgiæ cauſa 384.
Sudor frigidus in dolore 30.
Symptomata cardialgiæ 9. ſqq.
Syncope à cardialgia 26.

T.

Tabes ex cardialgia 115.
Tartuflarum ab eſu cardialgia 188.
Tegulæ pulvis medetur ſodæ 244.
Tempora cardialgici inſultus 15. ſqq.
Tendinum ſubſultus in eodem 29.
Terra ſigillata cardialgiam ſuſtulit 247.
Terrea (v. abſorbentia).
Terrore nata cardialgia 87.
Tetanus à cardialgia 29.
Thoracis morbi eidem juncti 24.
Topica varia ad cardialgiam 327.
Tremor cum illa 30.
Tumores cardialgiam varie cauſantes 36. 48. 95.

V.

Vaniglia cardialgiam depulit 243.
Venena eandem cauſantia 162.
Ventriculi inflatio 22. vitia varia ut cauſæ morbi 38. vel ut effectus ejus 119.
Vermes cardialgiæ cauſa 81.
Veſicante ad epigaſtrium admoto ſublata cardialgia 340.
Vinum ſodæ cauſa 66. cardialgiam tollit 268.
Ulcerantium in cardialgia curanda virtus 338.
Unguium raſura cum potu aſſumpta cardialgiæ cauſa 161.
Vomitus à cardialgia 23. eandem ſoluit 122. etiam cruentus 143.
Urina ſoluit eandem 139
Uvarum ab eſu cardialgia 344.
Vulnera hujus & ſodæ cauſa 92.
Vulnerantia deglutita cardialgiam generant. 57.

X.

Xyphoidea cartilago intropreſſa eſt cardialgiæ vel cauſa 37. vel effectus 119.